




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

VIII
BOS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIERONYMI

BOSSII

TICINENSIS,

Artis Oratoriæ apud Mediolanenses in Palatina Academia Interpretis,

CENTVRIA SELECTARVM EPISTOLARVM,

Excellentissimo

SENATVI MEDIOLANENSI

Dicata C. Q.



TICINI REGII,
Iacobus Ardizzonius Excudebat Ann. ciↄ iↄc x x.


BIBLIOTHECAE FLORENTINAE PVB.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

APPROBATIO.

Ego D. Augustinus Valerius Papiensis Congregationis Somaschæ Clericus Regularis, Theologus, Consultorq; sancti Officij Papiæ, de mandato Reuerendissimi Patris Inquisitoris hanc Scelectarum Epistolarum Centuriam Doctissimi, Clarissimiq; Viri HIERONYMI BOSSII TICINENSIS, In Palatina Academia Artis Oratoriæ Interpretis Regij accuratissimè legi, attentaq; mente ponderaui, & diligentissime recognoui, nihilq; in ea deprehendi, quod aut moribus bonis, aut Catholicæ veritati aduersetur; imò dignam Typis esse iudico, cùm ex ea non solum Philomusi iuuenes vtilitatem, sed ipsi etiam PHILOLOGI homines delectationem sint habituri, hausturiq; maximam.

IMPRIMATVR.

Fr. Michael Sax. de Tabia Vic. Inquisitionis Papiæ.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

ILLVSTRISSIMO
PRÆSIDI IVLIO ARESIO,
AMPLISSIMISQ. VIRIS,

LVDOVICO MADIO,
PAPYRIO GATTANEO,
TRVSSO TRVSSIO,
HIERONYMO PARAVICINO,
NICOLAO LEYZALDO,
IO. BAPTISTAE TROTTO,
IO. BAPTISTAE VICECOMITI,
ALOYSIO MELTIO COMITI,
MATTHAEO CAYR. MALDONATO,
VALERIO CONFALLONERIO,
PAVLO BELLONIO,
DON. FERDIN. QVINTANADVEGNAS,
PETRO FRANCISCO CORIO,
PRINCIVALLI MONTIO,

Excellentissimi Senatus Mediolani

PATRIBVS CONSCRIPTIS

HIERONYMVS BOSSIVS

Felix, Faustum, Fortunatumq; Precatur Imperium.



VEstrum beneficium est, PATRES amplissimi, quòd in Palatina Academia Rhetoricum munus fuerim ego abhinc annum auspicatus. Id quod mihi profectò multis, ac iisdem magnis nominibus accidit non iucundum minùs, quam honorificum. Etenim cùm meo quodam Genio ad MVSAS ferar mansuetiores, atque ad ipsam in-primis ducar PHILOLOGIAM, nunc meæ me prorsus, vt cum poeta loquar,

——— *sequi naturæ semina lætor;*

& ita quidem lætor, vt & quà ingenij, & quà animi cultus spectatur, verè possim cum Plautino dicere Periplectomeno:

Nunc benè viuo, & fortunatè, atque vt volo, atque vt lubet.

Præsertim cùm vos sperem hoc alterum mihi propediem humanitate, benignitateq; vestra præstituros, vt quà etiam rei familiaris ratio habetur, meũ istud gaudiũ integrum sit. Namque, vt ait Symmachus, *Specimen est florentis Reipub. vt Discipli-*

narum *PROFESSORIBVS præmia opulenta pendantur*: vestra gloria, vt Respub floreat. Sed vt ad propositum reuertar, non exiguam laudem esse vmquam putaui, earum quamlibet artium, quæ liberales appellantur, de publico, & superiore loco interpretari. Præter quamquòd summam in eo semper gloriam positam arbitratus sum, quòd eadem omninò prouincia mihi decreta fuerit, quam Parrasius, Maioragius, Marchesonius, CICEREIVS, PVTEANVS, COPPINIVS, & alij quàm plurimi inuidia maiores viri, Virtute, Fama, & Factis clarissimi, tanta cum dignitate sustinuerunt, vt eosdem

——————— hæc via sola superbum

Ad decus, & summas laudum perduxerit arces

Cui quidem rei nō vulgare ab eo accedit ornamentum, quòd Mediolani hoc munere perfungar, vbi *Facunda Virorum Ingenia* eiuscemodi florent ELOQVENTIÆ laude, vt difficillimum quiddam sit in hac Ciuitate dicere; sed ipsam in-primis docere artem benè dicendi longè sit difficilius. Quamquam, vt numerò dicam, quod res est, illud à me tantùm præter cætera præcipuum censetur, quòd vestra approbatione, vestroq; Senatus-Consulto existimatus ego fuerim non indignus, qui in publico SVADÆ theatro versarer. Vos me in lucem ex vmbra euocastis: vos hominem è *lare secreto* in publicum eduxistis, vtq; viam Publicæ FAMÆ ingrederer, effecistis. Itaque quidquid vtilitatis, & commodi [illegible]: quidquid splendoris, & gloriæ hæc mihi Palatina prouincia sit olim vmquam allatura, id vobis omne acceptum referre mihi est planè constitutum. Adeò quidem me amplissimo isti Ordini non honore solùm præsentis beneficij; sed spe etiam futurorum, deuinxistis, vt quæcunque à gratissimo proficisci animo possunt, me debere confitear simul, & profitear. Quamobrem, Sapientissimi PATRES, hanc vobis Selectarum Epistolarum Centuriam mente, & manu dicatum, consecratumq; venio, vt quę

à vobis

à vobis accepi recordari; quæque ab iisdem sperare possum, non tam intelligere, quam plurimi facere videar. Interim autem epistolam votis claudo, &

Deum O. M. Veneror,
Vti Sospites Vos, Incolumesque Præstet,
Quia Vos Rempub. Ex Cõmuni Omnium Vtilitate Geritis:
Vt Eosdem Florentes Seruet,
Quia Per Vos Florent Ingenia:
Vt Denique Ad Multos Annos Conseruet,
Quia Publica Salus Vestra Continetur Incolumitate.

Annuet, annuet meis præcibus, votumque meum ille Rex Regum firmabit, à quo omnis HONOR, & POTESTAS; quique SALVS, ac VITA est mortalium. Ex Musœo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

Ad Clarissimum Virum,

HIERONYMVM BOSSIVM TICINENSEM,

IN PALATINA ACADEMIA

Artis Oratoriæ apud Mediolanenses REGIVM INTERPRETEM,

ODE

Augustini Gorrinij Iriensis, eximij I.C. & Theologi.

QVòd te Pierides bonæ
Pauerunt dulci nectare, & ambrosia,
Quòd vatum pater aureus
Te docuit culta psallere Apollo Lyra,
Quòd Pallas quoq; Dædala
Ingenij larga messe valere dedit,
Quòd gratas Veneres pede
Alterno terram dum quatit ipsa Charis,
Iccirco superas chely
Vatem, cui licuit flectere iura Stygæ:
Et quæ Romuleos *patres*
Detinuit latij fama superba fori.
Vates barbite de iugis
Si quercus altis eruit aerias
Atq; vrsos, Tigrides, leas
Mulcendo *placidæ reddidit instar ouis,*
Deduxitq; polo genus
Quod penna ætherias verberat oẽ plagas,
Moti Hebri rapidos nimis
Cursus, *& tenuit flamina sæua Noti*
Ditis præterea canem
L*enijt, amissam dum petit Euridicen;*
Romanum Cicero forum
Dum superat Pylium voce tonante senem:
T*u omnes attonitos facis*
Dũ prona Aonium spargis in aure melos:
Tu pectus rapis omnium
Dum fluit ingenij vena benigna tui.
Tu præcordia possides
Pieriam docta dum feris arte lyram,
Succo Cecropio madens
Et Latio, latium sustinuisse potis.

Felix ergo ter, & quater,
Qui numeros apto prouocat ore tuos;
Qui cultum eloquium bibit
Quod pluis, et magni fluminis instar agis;
Nam si concinis, illico
Mulcendo, cartn sydera celsa graui
Votiuo ore superbiens
Pegased nimium messe beatus abit
Nam si fulgura detonas
Bellaq; compescis fulmine vocis abit
Votiuo ore superbiens
Palladijs pleno pectore diuitijs.
Felix verùm ego maximè,
Si quisquam felix viuit in orbe magis;
Plena qui aure bibo melos
Palladium, quod me nocte dieq; beat:
Cui semper melicis modis,
Et datur Aonijs me recreare sonis,
Necnon in latio foro.
Voce sonante frui, voce tonante frui.
Nostro Stychidias lare
Deuoro non segnis nocte dieq; tuas;
Præsertim Aonijs rosam
Quæ dicat affigens culta tabella tholis;
Musę vt stichidijs modò
Ex BOSSII *nectent florida serta sibi.*
Sed præfiscine, pallidam
Musæo pellunt quæ mihi melle famem.
Ipso, & nectare perpluunt
Quod siccam arenti detrahit ore sitim.
Sic pascor benè quod mihi
Inuidet Etus, inuidet Hesperius.

In Centuriam Epistolarum CLARISSIMI VIRI HIERONYMI BOSSII TICINENSIS, IN PALATINA ACADEMIA *Apud Mediolanenses ELOQVENTIÆ PROFESSORIS,* *EPIGRAMMA*

BENEDICTI SOCIACI,

Poetæ, ac Theologi Præstantissimi.

CENTVRIAM nouus ecce nouam conscribit, agitque
CENTVRIO, tristem vincat vt inuidiam.
Nec luce armorum, verborum at fulgure doctos
Perstringit visus, vertit & ora virûm:
Non cædem, aut furias spirat, sed vbique lepores,
Non Mars ense tonat, ridet vbique Venus.
Est telum calamus bellator, pagina campus,
Pagina pro multo sanguine melle madet.
Nec quæruntur opes, aut regnum, at fama superstes:
Non hostes victor, sed fera fata domat.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Rogo, & obsecro te, QVISQVIS ES, vt ne priùs hanc Epistolarum Centuriam legas, quàm expungenda deleueris, & suo ista quæque loco reposueris, quæ hic ego subijcio, indicatis ERRORVM pagellis.

Pag. 5. ac veriùs. 19. quia in te illa. 20. dandum putaui: litteris suis. 26 Cornelij. 30. in eis librarij 35 Solon: Rosci: ad imaginem. 44. propiùs accessisse. eruditissime 48 proficiscatur: 51 cum his ad te 61. sartas tectas: percussi. 63 ad vnum. 68 ait. 72 hetrusca lingua: nox dirimeret. 81 Rhamnusia 83 certè diligẽtia: tua efficies. 84. e selectorum iudicum: musas frequentiùs. 85. rus merum: liber animus: nemo poterat 86. regit patrijs · exemplo ciues ad; sed eosdem. 81. humanum præditus; spe non dubia. 89 pictorium cimerialchium 90 quò festos; Senatus excudat. 92. palliatæ; compendij. 94. Roma missas. 95. noxa erit. 96. digitum porrigeret 97. Saulij.

Hoc AMPLIVS animaduerte, & ignosce Amanuensi quòd litterarũ is geminauerit exemplum quæ paginis 58. & 91 bis excusæ perleguntur, omissa alia epistola, quæ pag. 91. erat alioqui typis imprimenda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

Syllabus eorum, ad quos ſunt miſſæ Epiſtolæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIERONYMI BOSSII TICINENSIS CENTVRIA SELECTARVM EPISTOLARVM.

HIERONIMVS BOSSIVS

SCIPIONI BVRGHESIO,

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ CARDINALI,

S. P. D. *Epist. 1. Romam.*



VEre Ciuitas Romana *nunc temporis digna est, Cardinalis Amplissime, SCIPIO BVRGHESI, vt Marcellini verbis* Virtutum omnium domicilium *appelletur. Etenim his præcipuè temporibus, PAVLO V. omnium Optimo, omnium Maximo Pontifice, Auunculo tuo, sic* emitur, *quod ait Poeta,*

.... sola virtute potestas,

nihil vt opus sit, aut ad largitiones tollendas, aut ad ambitum coercendum, lege Calpurnia. Quandoquidem viris probis tantùm, & ijs, qui prudentia, & cæteris id genus animi dotibus conspicui sunt, Dignitates, & Sacerdotia deferuntur. Id quod exemplis, *vt inquit ille meus,* præsentibus, viuisque, *fieri quotidie magis sua cum voluptate perspiciunt, quotquot in ista Vrbe, in ista luce versantur orbis terrarum. Neque verò nos hoc ipsum, quantumlibet magno locorum interuallo disiuncti, ignorare possumus, cum vir* sine exceptione *probatissimus, Vrbis nostræ Episcopus,* eo iure, quo qui optimo, *fuerit nunc nuper creatus. Quoniam honore isto auctus non antea fuit, quàm in varijs Prouinciarũ gubernationibus ita se gesserit, vt*

licet magnum quiddam sit, quod consecutus est, ab hominibus tamen plus mereri, enucleato suffragio, iudicetur. Itaque, si dignitas, dum ad incognitum venit, donum est; cum ad expertum, compensatio meritorum; *populares mei Summi Pontificis Iudicio, & testimonio freti, liberè possunt, ac potius debent, prisco ritu adclamare:* hunc *Præsulem*, hunc imitari omnes volumus, qui nobilis est sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis. *Ea re ab optimi ciuis officio, quem suæ patriæ siue ornamenta, siue augumenta delectent, discedere mihi viderer, nisi maximas, & immortales haberem tibi gratias, qui ore tuo, quasi Delphico Apollinis Oraculo, non hominem solùm apud Auunculum commendare, sed ad Episcopatum etiam promouere, hoc est, vt ego interpretor, nos summo bono afficere, voluisti. Neque satis profectò verbis indicare possem, ne dum apertiùs declarare, quantùm ego ob eiuscemodi beneficium, publicè acceptum, priuatim debeam. Cui cùm alterum illud accedat, quod author fueris eidem Antistiti, vt Fratrem in suis Cancellarijs habere velit, totis te animi sensibus amare, & obseruare compellor, si modò is compellitur, qui libenter aliquid, & studiosè facit. Et næ homo essem* mente viduus *omninò, illud si non intelligerem, quale, & quantũ sit, quod tua apud me humanitate posuisti: & cum intelligam, si meum* libens merito *nomen in tuis Censualibus libris non adscriberem. Quid igitur? iam mea sponte, nulla prætoris intercedente authoritate, me tibi* do, dico, addico. *Præsertim cùm non ignorem, quòd non minùs propter amplitudinem dignitatis, quàm propter magnitudinem animi tui, quæ, in dando, mutuum nec respicit, nec recipit vmquam, nulla aut industria tibi, aut officio meo possim redhostire. Hoc potiùs Fratrem curaturum affirmatè promitto, vt, liceat mihi hoc verbo vti, nec te Fauoris, nec ipsum Episcopum pæniteat Obsequij. Quòd si, cum Plinio dicam,* solicitiùs custodiendus est Honor, in quo etiam beneficium amici tuendum est, *multò magis, in quo Principis tui similis; cui vel de nomine tantùm innotescere, laus est non vulgaris.* Fide *certè, quæ in* Ingenio *est, &* Sedulitate, *quæ in* Manu, *efficier,*

quoad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

quoad eius poterit, vt sua opera in isto munere Graphico nec desiderari, nec accusari vllo modo possit. Interim autem Bonas Preces Te Precor, *atque per* Summi *Pontificis Auunculi tui Genium rogo venerabundus, vt, iterata apud hominem opera*, Tuo *isti* Beneficio, *siue mihi, siue Fratri delato*, Solidam Addas Perpetuitatem. *Ticino Regio, Prid. Nonas Augustas.*

HIERONYMVS BOSSIVS

FEDERICO BORROMÆO

Archiepiscopo Mediol. & S. R. E. CARDINALI.

S. P. D. *Epist. 2. Mediolanum.*



Recordatio singularis illius benignitatis, quam ex eruditissimis sermonibus tuis perspexi, me quotidie, fateor, ex quo Mediolano profectus sum, admonuit officij mei. Sed mihi plane accidit quod Æschino Terentiano, cuius

------- dum nimis sacras nuptias
Student facere, in apparando consumunt diem.

Ecce tibi, Cardinalis Amplissime, dum expecto, vt in mentem aliquid veniat, quod in eam epistolam, quam ad te cum opusculo meo recepi me daturum, confirmata, si minus aucta, de me opinione, conijcerem, duo ipsi menses abierunt. Ne me igitur, quod iam tempore lapsa fides *sit, referas in parum idoneis nominibus, has cum libro ad te mitto litteras, vt vt licuit scriptas in multis, ac magnis occupationibus meis. Quas tamen, vt tamquam indices obseruantiæ erga te meæ libens accipias, rogo te per eorum lucubrationes hominum, quorum* ingenia, *vt Plinius ait,* rem publicam *fecisti in Ambrosiana Bibliotheca. De qua profecto, si quando mihi Deus otium fecerit, aliquod conari animus est, ex quo facile intelligas me fortasse nō indignum esse omninò, quem in tuam clientelam recipias. Vale splendidissime litterarum, ac litteratorum in Italia Mæcenas, &*

De nostris annis tibi Iuppiter augeat annos.

Ticino Regio XVIII. Kalendas Septembreis.

HIERONIMVS BOSSIVS

ACADEMICIS INSENSATIS

S. P. D. *Epist. 3. Perusiam Augustam.*

Communi profectò sensu, nobilissimi INSENSATI, carere mihi ipse viderer, illud si minùs intelligerem, quanti sit, quòd in vestram me familiam cooptastis. Etenim quantùm cæteris animantibus homo ratione præstat, tantùm ij cæteros antecellunt homines, quorum vitam, vt Poeta inquit summa prudentia Prudentius,

------- sibi temperat, atque gubernat
Viuida Mens.

Vos autem ita Platonicum *animi* Tetrachordum *temperatis, vt rationis neruus cum neruo concordans intellectus,* Homophonum *creet, nec vlla planè sensuum* Emmeles *in vobis exaudiatur: adeò vi*tam, & mores, *vestrorum nemo.*

------- ficto componere tentat
Membrorum Genio.

Cùm itaque sitis non re ipsa minùs, quàm appellatione, vt hoc verbo vtar, INSENSATI, maxima certè laus, ac potiùs gloria est, eiusmodi nomine vobiscum nominari. Quamobrem gratias & ago, & habeo immortales, quòd me vestra Academia donatum ab illecebris sensus, delicijsque, isto nomine reuocetis: qui quidem, verè dicam, dum INSENSATVS vocor, impositam mihi video necessitatem, vt prorsus effugiens corporis sensus, animi tantùm, & ingenij sensa, Menti, ac Musis operando, & sequar, & amplectar. Valete Apollinis Corculi. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

HIERONYMO XAVIERO

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ CARDINALI,

S. P. D. *Epist. 4. Madritum.*

IPsis Seruatoris nostri Palmalibus, Cardinalis Amplissime, litteras tuas accepimus. Quæ quidem, si vera dicenda sunt, non mihi

magis

magis honorificæ ab ista purpura, quàm ab tua ipsius humanitate iucundæ acciderunt. Etenim non præter solùm expectationem, sed contra potiùs omnem opinionem fuit, vt pro tantula re tantas gratias ageres, haberesque: ac verùs etiam referres, prolixa adeo pollicitatione clientelæ tuæ ad mea omnia paratissima. Atqui maximas ego tibi potius debeo gratias, quód nec Vir Amplissimus humilitatem nostram fueris aspernatus, & mea tamen, quæ paucula, & parua dedi, exceperis libentissimè. Quo facto, vix, certè credas quanti studij quantus cumulus accesserit voluntati, & obseruantiæ erga te meæ. Interim Deus te seruet Hispanæ genti, ac eundem in primis orbi conseruet Christiano.

HIERONYMVS BOSSIVS

IVLIO ARESIO

Senatus PRÆSIDI, & Regio à Secretis CONSILIARIO, *S.P.D.* *Epist. 5 Mediolanum.*

VEré possum de te, sapientissime Præses, IVLI ARESI, *cum lyrico poeta dicere*

------- micat inter omnes
IVLIVM sydus, velut inter ignes
Luna minores.

Non tantùm enim, quod vulgus hominum solet, pulchrum esse existimas cœteros aut dignitatibus, aut diuitijs superare, quantùm singularibus, ac ingenuis animi dotibus esse, quod de Atride inquit Homerus,

Valde præstantem inter multos, & eximium heroas.

Ego quidem, vt prudens sciens reliquas mittam virtutes tuas, admirabilem quamdam in te vno suspicio erga omnes humanitatem, & erga bonarum artium studiosos liberalitatem: duo scilicet animi ornamenta, quæ te faciunt φοσις επισημον ανδρα. *Ea re nec facilè tibi dicere, neque mecum vllo statuere modo possum, vtrum gratius mihi acciderit aureumne numisma, quod ad me dono misisti, an epistola, quam illi adiunxisti, amantissime, & honorificentissimè scriptam. Altera*

ad eximiam spem erigis cogitationes meas: altero verò tantùm me ornas, vt nisi in eodem tuam potiùs humanitatem, & prolixam naturam, quàm meritum vllum erga te meum agnoscerem, homo eßem aut omninò expers iudicij, aut omnium superbissimus. Quo vitio si laborarem, næ me ipse, qui modestiæ amantissimus es, ex tuorum albo eximeres, in quibus cùm me numerari & a te a multis, ac magnis beneficijs significaueris, & nunc maximè istoc munere declaraueris, non poßum, præter quidem ingenium, ac genium meum, qui homo sum Aphilodoxos, *non incumbere ad ambitionẽ. Namque ab ijs omnibus, qui in tuam me fidem receptum eße non ignorant, aliquis habeor tua causa, qui nullus pæne mea haberer humilitate. Et quidem,*

Totum muneris hoc tui est,
Quòd monstror digito prætereuntium.

Quare tibi gratias ago maximas, & habeo immortales, de aureo isto numismate, quod medius fidius longè mihi fuit gratius, quàm Hermathena Attici M. Tullio. Vt autem ista etiam in re imiter hominem, quem pro virili authorem sequor, Solis donum *hoc tuum dicam, cùm in ipso numismate imago sit expressa magni Marchionis,* IOANNIS *MENDOTIÆ. Quippe non minus Rempublicam bonus Gubernator suo exhilarat, ornat, & constituit adspectu, atque exemplo, quàm Sol mundum radijs illustrat suis. Quod aut nunquam verè de quopiam fuit prolatum; aut verissimè nunc poßumus, & debemus affirmare de Principe isto prudentissimo, optimo, fortissimo. Quem virtus Bellica Æneam facit sæculi nostri, & ciuica Augustum, ac Musagetam. Bellè adeo, quod tu omnium maximè nosti,*

——— vaccuum duellis
Ianum Quirini clausit, & ordinem
Rectum, & vaganti fręna licentię
Iniecit, amouitque culpas,
Et veteres reuocauit artes.

Quem cùm mihi non liceat, vt ardentissimè cupio, cominus venerari effictum isto in numismate perpetuò contemplabor. Atque omnem voluptatem

luptatem, quam in eo contemplando percipiam, cum tui ipsius coniungam recordatione. Tu interim, Amplissime ARESI, fac valeas, & me sic ames amore illo tuo singulari, vt omnia tibi fausta, felicia Fratri, ac Filijs tuis fortunata, precor. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

PAVLO SFONDRATO,

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ CARDINALI,

S. P. D. *Epist. 6. Fulginium.*

NVnc primum, Cardinalis Amplissime, ego tibi de facie homo ignotus omnino, ac de nomine etiam vix notus, litteris te meis appello. Sed neque tamen opus esse arbitror longo tecum apparatu verborum in ipso scribendi principio vti, quo tua mihi beneuolentia concilietur. Illa profectò singulari benignitate, qua tu quidam mihi videris esse Humanitatis Genius, sine æmulo, sine exemplo effecisti, vt priùs tibi Gratias Merito Magnas deberem, quàm vt me, ac Fratrem, in tuam ipsius gratiam, & clientelam, receptum esse intelligerem. Præoccupasti inquam, ac potiùs præuertisti, beneficijs tuis officium meum. Porrò nobilissimus, & præstantissimus vir, IO. BAPTISTA SOLARIVS, Agens POLONIÆ REGIS in Insubria, ab hinc mensem significauit, quantopere Fratri tua authoritate in eo commodare volueris, ad quod vnum discupit votis omnibus peruenire. Atque adeò cùm epistolam, ad hominem tunc temporis per publicum tabellariũ à te missam, oculis arbitrarer, in certam spem veni futurum, vt ductu, & auspicio tuo, ad Cancellarij munus, in Ticinensis Episcopi foro, inuitaretur is potiùs, quàm admitteretur. Hancque meam perbellè opinionem litteræ confirmarunt, quas sapientissimus, idemq; optimus nostræ Vrbis Episcopus, ad te Romã dedit, ac mox tu Fulginio Mediolanum, vt à nobis legerentur, ad SOLARIVM perferendas tradidisti. Ex ijs certè patet, quantùm nos illi non suspensa manu commendaueris: in quo tuam amo singulariter humanitatem; & quantùm apud eundem

Fratri

Fratri ipsi ornamento simul, atque adiumento fueris: in quo amplitudinem agnosco, & veneror istius dignitatis tuæ. Vt enim Cardinalitiæ Felicitatis est, in orbe Christiano, quantùm velis posse; sic magnitudinis, velle quantùm possis. Tua igitur fretus clientela hoc iam non ampliùs spero, sed mihi certò polliceor de Episcopo nostro, vt statim, atq; fuerit ex Æterna Vrbe Roma, ad nos profectus, hanc homini scriptoriam prouinciam decernat: modòne tamen

----- eius oculi sententiam mutent, vbi istum viderint.

Causas quidem de hac re dubitandi nec pauciores, & fortasse maiores habeo, quàm de suo amatore Plautina Acroteleutium. Sed illæ me causæ magis, ac magis commouent, quæ in non-nullorum perfidia maleuolorum positæ sunt. Atqui Nostræ Vrbis Pontifici ad inuidiam hoc insusurrabunt, quòd Musis nunc tantùm operetur Mansuetioribus, quasi nihil Astreæ cùm Phœbo commune sit: & illud alterum, scientes nescientes, silentio præteribunt, quòd ab ineunte adolescentia in puluere isto forensi fuerit per septem ipsos annos versatus. Nec dubium est, quin suum sermonẽ fingant ad Antiphonis illius Terentiani imitationem, qui

------ quod boni est excerpit: dicit quod mali est.

Sed neq; propterea animis cadam, fore sperans, vt omnia facilè vincantur, ac superentur authoritate patrocinij tui. De quo si eas tibi agere gratias velim, quas semper, dum viuam, sum maximas habiturus, plus omninò, quàm ferre possit, ingenio imperarem meo. Multò autem minùs cogitabo de referenda gratia, cùm æqua ratio mihi nunc tecum sit, atq; olim Ausonio poetæ fuit cum optimo Romanorum Cæsarum, Traiano. Quippe nec tua fortuna desiderat remunerandi vicem: nec nostra suggerit restituendi facultatem. Itaque ne omnibus partibus videar ingratus, me totum, ac Fratrem in ære tuo esse non profitemur solùm, sed gaudemus etiam quàm maximè. In quo fortasse tuis istis erga nos meritis, satis pro virium nostrarum tenuitate, respondisse existimabimur. Reddit enim, vt ait Seneca, beneficiũ qui libenter debet. Cæterùm ego iugibus à Deo precibus contendam, vt det tibi, SFONDRATE Amplissime, ætatem, quam mereris, seruetque animum, quem dedit, ad omnium scilicet commoda promptissimum, paratissimum. Ticino Regio, Prid. Nonas Septembris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIERONYMVS BOSSIVS

FLAMINIO PLATO.

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ CARDINALI,

S. P. D. Epist. 7. *Ferrariam.*

NOn vulgare illud profectò est, quod CÆSAR *frater patruelis meus in causa Laumelensis Sacerdotij à Summo Pontifice obtinuit deprecatione tua.* Vt *igitur intelligas, Cardinalis Amplissime, FLAMINI PLATE, quod einsce modi facto non hominem solùm tibi obligaueris, sed gentem BOSSIAM vniuersam deuinxeris, me tibi etiam istius beneficij debitorem constituo, profiteorque. Cùm præsertim illud mihi* CÆSAR *narrauerit, quod ipsi authoritate, ac gratia tua in eius petitione, mea præcipuè causa, fueris adiumento. Sed eo tamen nexu tantùm abest, vt velim dissolui, vt contrà nimiùm quantùm gaudeam, quòd apud te in expensi tabulis meum nomen descriptum iaceat. Qui enim in tuis vllo merito meo haberi, aut esse, non possum; saltem haberi debitione cupio. Interim autem Ferrariensis* Cœli Genius *in isto tibi secessu sit adeò salutaris, vt, qui es B. R. P.* N. *Christianæ,*

Serus in cęlum redeas: diuque
Lætus intersis populo Quirini.

T*icino Regio propridie Kalendas Quinctileis.*

HIERONYMVS BOSSIVS

IO. BAPTISTÆ BILIO.

Ticinensium EPISCOPO,

S. P. D. Epist. 8. *Romam.*

ACcepimus hebdomada superiore nuntium, vt diu expectatum, ita expectatione ipsa iucundiorem, feliciorem. Diem autem, quo iste ad nos perlatus est, debita omninò religione celebrauimus. Atqui publicè nuncupatis votis, & indicta supplicatione *pro tua ipsius* Salute, *in qua nostræ præcipuè Vrbis tranquillitatem, fælicita-*

temq; non immeritò positam existimamus, sumus authorem illum, ac datorem Salutis, Deum Optimum Maximum obnixè venerati. Intelleximus enim eum esse te, præstantissime BILI, in quo partes omnes, infulato siue Principe, siue Præsule dignæ, pereximiè & vigeant, & ad aliorum floreant exemplum. Sed hæc tantùm audiuimus: præsentia videre, habereq; desideramus. Itaq. vt tuum matures aduentum, quo nihil magis est apud nos in expectatione, te nimiùm quantùm rogamus: te precamur. Quod si tu vicissim ad nos, si Ticinum *cogitas, iam* libo, & pomo *tua causa, ex prisco ritu,* Vibiliæ facio. *Vale.* Ticino *Regio.*

HIERONYMVS BOSSIVS

PIO MVTIO ABBATI,

& ad Galliarum Regem NVNTIO,

S.P.D. Epist. 9. Patauium.

VItulam, PIE *optime* Herculi paro, *qui te in itinere comitetur:* Suadæ *autem* bibentem Vouco, *vt tibi adsit in legatione. Audiui enim te vnum fuisse à Generali Cassinensis familiæ Præfecto oratorem dessignatum, qui ad Regem in Galliam eas. Maximæ quidem lætitiæ mihi fuit hic nuntius: illud præsertim consideranti, quòd ea & eloquentia, & prudentia floreas, qua facile possis legationem cum* Persica *renuntiare. Quamobrem in munere isto, quod alioqui eximium est, non tibi positum honorem puto; sed gradum potiùs ad honores, & dignitates. Quas quidem iam auguror ab amplissimo isto Præsule parari, ac decerni, vt cùm redieris, Respub. Cassinensis exornatum te illo maximè velit in præmium, & prætium siue operæ, siue virtutis tuæ. Eia igitur*

I tua te virtus quò nunc vocat, i pede fausto.

Vade inquam orator, & exorator redi, ac vale. Ticino Regio.

HIE-

HIERONYMVS BOSSIVS

PHILIPPO MASSINIO,

I. C. Equiti, Poetæ, & Primario ANTECESSORI,

S. P. D. Epist. 10. Pisas.

AManter facis, quòd elegantissima epistola tua me ad officium scribendi reuocas: iucundè, quòd de ijs rebus omnibus, quas ad te HYPPOLITVS MONTIVS, vir certè

Antiqua probitate, moribusq;

Dignis Pythagora,

de me anteà perscripsit, à me ipso vis iterum certior fieri. Quasi verò in eius tu litteris, quas fide optima & exarauit, & dedit, acquiescere non potueris. In quo te, MASSINI, V. C. libenter excuso, quòd amoris hoc proprium esse non ignorem, vt amicorum voluptates, licet sint iucundissimæ, si quid de ijs ab alijs intelligamus, multò tamen videantur esse iucundiores, si ab ipsis admoneamur. Nunc igitur tibi, quando ita rogas, ac potiùs iubes, ea narrare haud verebor, quæ anteà vix potuissem significare, quin grauiter illam modestiam offendißem, quam ipse, tua vtar formula, in me dicis peculatum facere: omnia inquam, vt vt acta sunt, recensebo, fore sperans, vt imperium tuum me ab omni superbiæ liberet suspicione. Quamquam, vt Princeps ait Academicorum, Nihil quod modestè, & legitimè fit, vituperare decet. Hortantibus amicis aliquot, ac in primis PAVLO BELLONIO, I.C eloquentissimo, IACOBO RESTA, HYPPOLITO CERBONIO, & AVRELIO VALERIO, doctissimis viris, collegi, non enim dicam selegi, nonnullas epistolas meas, partim in ipsa adolescentia, partim conscriptas hac mea ineunte iuuentute. Illas autem, quæ (vt latiùs hoc verbum, quàm Tulliani volunt, cum Lipsio transferam) vltrà centuriam excurrebant, in V. Libros dispertiui, atque in vnum volumen congessi. Octobris itaque Florentialibus vnà cum PLACIDO CARMINATO BRAMBILLA profectus sum Mediolanum, vt illud ipse mea manu darem, cui dicatum erat, PRÆSIDI Amplissimo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

ac sapientissimo PHILIPPI REGIS CONSILIARIO, IVLIO ARESIO; viro scilicet ea virtute, ac prudentia exornato, vt verissimè de Agellij sententia possimus cum poetis Iouis filium appellare. Sed vide quàm omnia cecidere mihi feliciter, & fortunatè. Vix eò perueni, cùm Generalis IESVATORVM Præfectus IO. ANDREAS QVAGLIINIVS à DRVBACCHIO monitus de aduentu meo in Diui Hieronymi cœnobium ad se vocari me iussit. Neq; ad amicos, quos illic habeo non paucos, quamdiù Mediolani fui, fui autem ipsum triduū, me vnquam diuertere paßus est. Tantaq; mecum vsus est humanitate, vt præ illo Megarenses, Corinthios, & Lucanos, qui aduersus inhospitales actionē dabāt Cacoxeniæ, ius omne hospitij existimē contēpsisse. Ipsius verò Præfecti humanitatē mirificè subsecuta sunt eorum adolescentū officia, qui ad B. IOANNIS COLVMBINI præscriptum illic summa viuunt cum religione, ac pietate. Alij me abeuntem prosequebantur: alij domū redeuntē excipiebant: alij in cænaculo, vt suauius pranderē, mecū colloquebantur; nonnulli in hortis disputabant, vt amœniùs deambularem. Itaq; mihi ipse videbar esse modò in conuiuio cū Platone, modò ad Platonis statuam cum Bruto in hortis M. Tullij mei: Tantùm illi,

Pierijs pollent studijs, multoq; redundant
Eloquio.

Sed quoniam, vt Petronianus dicit Ascyltos, tardum est differre, quod placet, non te diutiùs suspensum tenebo, quin fideliter narrem, qua me PRÆSES ARESIVS, complexus sit & benignitate, & liberalitate. Cùm is igitur ex vernula quodam suo intellexisset, quòd ego pro ædium foribus adeßem, in aulam, vbi cum BARTHOLOMÆO fratre, prudentissimo, humanissimoque viro, atque cùm BARTHOLOMAEO, & CAROLO, filiolis, & animulis suis, tunc temporis prandebat, rectà me duci voluit: introductum ea fronte, eoque vultu excepit, vt illum agere potiùs cum homine Vrbis primario, quàm cum Bossio, tu mi PHILIPPE, dixißes. Rogauit etiam, nec quidem, vt fieri solet temporibus nostris, vix exeuntibus verbis, rogauit inquam per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

summam contentionem, vt apud se viuerem illud triduum; sed hac illi in re morem gerere, quòd iam Generali *IESVATORVM* Præfecto *condixerem, non potui. De volumine autem mearum epistolarum, quod* libens meritò *illi ego dicaui, tantas gratias egit, quantas sine rubore nec tunc audire, nec nunc tibi (quamquam* litteræ non erubescant*) perscribere possum. Nec solùm verbosa illius fuit humanitas; tanta me muneris affecit largitate, vt non minùs verè, quàm de* Therone *Pindarus, ego de ARESIO meo Proferam iureiurãdo firmatum verbum veraci mente,* peperisse nullam intra centum annos Ciuitatem beneuolo virum magis beneficũ pectore largioremq; manu. *Atque vt aliquid singulare audias de illius erga me liberalitate, non reticebo, quòd ab eo donatus fuerim aureo numismate, siue, vt me dicere fortasse malles, toreumate, in quo arte nescio cuius Alcimedontis effictа probè fuit effigies* Magni *Marchionis, Magnique Principis, IOANNIS MENDOZAE,* Mediolani *Gubernatoris. In cuius orbe numismatis idem PRAESES ARESIVS, vir, vt optimè nosti, ingenio, & iudicio præstantissimus, ad veram tanti PRINCIPIS commendationem hoc imprimi dictum curauit quadratis litteris: VIRTVS BELLICA, ET CIVICA. Nulla enim est aut in pace optimi Gubernatoris laus, aut fortissimi Ducis in bello gloria, quæ* Magno *MENDOZÆ non debeatur. Nam is vtroque* Reipublicæ *tempore, quasi* Asteropæus *alter Homericus,* Peridexios *semper fuit; siuè contra hostes Bellonæ; siuè cum ciuibus Palladis hastam tractauerit:* Enituit aliquis in bello, *(cum Plinio dicam,)* sed obsoleuit in pace: alium toga, sed non & arma honestarunt: reuerentiam ille terrore, alius amorem humanitate captauit. Ille quæsitam domi gloriam in publico; hic in publico partam domi perdidit. AT PRINCIPI NOSTRO quanta concordia, quantúsque concentus omnium laudum, omnisque gloriæ contigit, vt nihil seueritatis eius hilaritate, nihil grauitati simplicitate, nihil maiestati humanitate detrahitur. *Itaque, et olim, vt illud Claudiani vsurpem.*

Diuer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

--- -- diuersus erat fauor: æquior ille
Partibus inuisus plebi; popularibus illi
Munito studijs languebat gratia patrum.
Omnis in HOC VNO varijs discordia cessit
Ordinibus: lætatur æques, plauditq; Senator,
Votàque patritio certant plebea fauori.

Et quidem, vt ad rem redeam, istud numisma mihi, qui auri splendore non capior, præterquam quòd aureum sit, tribus nominibus gratissimum esse debet: quòd signum sit PRINCIPIS: *quòd ab ARE-* SIO *datum: quòd denique (absit verbo inuidia) argumentum afferat non improbati opusculi mei. Cuius caussa cùm Mediolanum, vt suprà dixi, profectus essem, & omnia prout narraui, feliciter succederent, tum cælum mihi visus sum attingere, cum BENEDICTVS* SOSSAGVS, *Poeta ingeniosissimus, & cùm antiquis facilè comparandus, aditum mihi aperuit ad* Illu*strissimum, Amplissimumq; Cardinalem, magnum Heroem:* FEDERICVM *BORROMÆVM. Non facilè dixerim, mi PHILIPPE, maiorine in primo illo congreßu mihi fuerit voluptati eius comitas, & benignitas, an admirationi eiusdem eruditio, ac Principe digna sapientia. Quæ potissimùm in caussa fuit, verè dicam, vt tunc mirari desierim, quòd scriptorum in omni genere, ac lingua selectorum libris, tanquam arcem Mineruæ, atque, vt* Boethius *diceret*, certissimam Philosophiæ sedem, *BIBLIOTHECAM constituerit: quòdque litteratos homines tantùm honoribus, ac pecunia ornauerit, vt non magis definitè, distinctèq; designet, qui* CARDINALEM BORROMÆVM, *quàm qui* MVSARVM PATREM *appellat.* Quippè bonarum artium studia, *quæ anteà, sublato virtutis præmio, peribant veriùs, quàm languebant,* spiritum, ac sanguinem, *quod olim sub Traiano,* nunc sub illo recipiunt. *Cuius indicium rei, ac testimonium nunc faciunt, in diesque magis facient, volumina plane aurea, ac cedro dignissima, quorum non pauca, nec parua à* RIPAMONTIO, SOSSAGO, *SALMATIA, FERRARIO, GIGIO, & ab alijs ex illius* Am*brosiano Collegio felicis ingenij*

genij hominibus, in publicum emissa fuerunt, & ad paucos annos emittentur. Sed vt alia persequar, quæ á me petis (petis enim totam rationem profectionis meæ) ab Archiepiscopio ad ipsam me contuli BIBLIOTHECAM, in cuius limine inscriptionem, cùm AMBROSIANAM potiùs, quam BORROMAEANAM *vocauerit, legere non potui, quin etiam atque etiam suspicerem tanti* Herois *animi magnitudinem, qui* nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert: rectèque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit. *Mox verò Bibliothecæ Præfectus, vir humanitate præditus incredibili,* ANTONIVS OLGIATVS, *singula me voluit propiùs intueri: forulos egregiè dolatos perspicere:* Clarorum *Virorum imagines contemplari: libros cùm in charta, tum in arborum folijs manuscriptos euoluere: ac denique volumina ab omnium gentium typographis excusa peruolutare. Per horæ spatium integræ illo spectaculo delectatus in impluuiolum, ac potiùs peristylium exij, quod in aulam ducit, tantis certè refertam pictorum tabulis, vt locus mihi visus sit omnino dignus, in quo Bonarotus aliquis, aut Raphael Vrbinas, de arte sua Academiam instituat. Ascendi etiam per scalas marmoreas in quasdam cellas, quæ sedibus, mensis, &* Sanctorum *imaginibus ornatæ, ijs patere solent, qui studiorum caussa cum libris ex Bibliotheca petitis illùc secedunt, vt ab arbitris concedant, & ne ab aliquo interpellentur.* Sunt *& alia, mi* PHILIPPE, *quæ si oculis tuis scribendo subijcerem, non minùs tibi fortasse gratum esset perlegere, quàm mihi perlustrare iucundum fuit. Verùm quia epistolam, non* Topographiam, *scribere propositum mihi est, cæteris in aliud tempus reiectis, illud tantùm dicam, quòd IO.* BAPTISTA SACCVS, *Vir certè doctissimus, eruditissimus, &, si quis alius, in litteratorum* Republica *Clarissimus, cuius amicitiam, ac beneuolentiam non te fugit quàm ardenter desiderauerim; nunc ita me cum paucis amat, fouetq; nihil vt amplius desiderare possim. Etenim, vt ne tibi concedere videretur in me diligendo, paucis abhinc diebus conditionem, opimam sanè, atque ab ea, in quam annum iam ipsum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

vt vocarer operam omnem tuam, ac diligentiam intendebas, non valdè dissimilem, ipse mihi detulit, & per litteras, vt acciperem, adhortatus est. Quam tamen non accepi, eadem pœnè causa commotus, qua olim, mi MASSINI suauissime, recusaui tuam. Sed hæc hactenus. Quod rogas, vt aliquid nouæ scriptionis ad te mittã, cùm de meo in præsentia, qui per dies aliquot otiosus fui, obsequi non possim, de alieno satis facere non verebor. Quod, more quidem meo, apertè, ac liberè profiteor, ne Plautinam Phronesium imitari videar, quæ alienam prolem, alienosq; sibi dolores supponebat. Ecce tibi huic epistolæ adiungo lepidissimam, elegantissimam, &, vt verbo dicã, à SACCO factam, sclopuli rotati descriptionem. In qua, licèt sit admodùm breuis, scio tamen te longè maiorem voluptatem percepturum, quàm si mearum Iliadum, ac nugarum potiùs myriadas lectitares. Vale. AQVILINVS COPPINIVS meus, eruditissimus vir, & IO. BAPTISTA RESTA, adolescens moribus, ac ingenio præstantissimus te saluere iubent quamplurimùm. Ticino. Pridie Nonas Iunij.

HIERONYMVS BOSSIVS

IO. BAPTISTÆ SACCO,

C. V. Mediolani SENATVI A SECRETIS,

S. P. D. *Epist. 11. Mediolanum.*

I*Pse iam* annus *abijt, & quidem* Arcadicus, *non* Solaris, *ex quo nihil datum est aut à me tibi, aut à te mihi litterarum. Atq; ità gratiam mihi tuam conserues* CL. SACCE, *vt nostrum vterque Trium mensium silentio numerum Gratiarum impleuimus. Quod ne* Symposiaca lege ad Musarum enneada *excurrat, prior ego ad offitium redeo scribendi, & salutandi tui. Sed neq; tamen vllam meam occupationem causor, vt tu prorsus sileas omnes excusationes. Non enim me fugit, quas tibi Curia adferat quotidie curas: quamque innumeros tibi vbique gentium cum Philanthropia, tum Philologia, amicos paraueris, ad quos, litteris prouocatus, litteris quoque*

debes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

debes respondere. Id quod sane facis tuo quodam Epistolico genio nō eleganter minùs, quàm promptè: atque ita, vt id, quod ingenij impetus est, industriæ cultura esse videatur. A nemine itaque certiorem mihi, quàm à te vno scriptionis vicissitudinem polliceor, à quo quidem certissimam habeo beneuolentiæ. Nec verò ad hasce meas rescribes, vt de tuo statu, de salute, de Musis tuis nuncies, quin idem apertè declares, amorem erga me tuum non potuisse

....-- per longa silentia solui.

Qui vt in nostra omni vita sit æternus non magis libet exoptare ad meum ornamentum, quàm licet ab humanitate tua certissimè expectare. Interim vale Rosci litteratorum. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

PAVLO BELLONIO,

I. C. Primario Antecessori, nunc Reg. Mediol. SENATORI, *S. P. D. Epist. 12. ad Arcem.*

CAue putes, me ante coronam capere voluisse vt cœnaturus discumbere, quàm operis tui caput LXVIII. semel iterum, ac tertiò percurrerim. Haud enim ignoro scriptiones tuas esse eiuscemodi, vt sobrijs tantùm liceat cum fructu illas perlegere, quæ non madida memoria sunt ad verbum perpetuò cum retinendæ, tum repetendæ. Porrò autem pro Quinctio locus, quem præcipuè hoc præcipuo capite illustrādum suscepisti, germano a te suo sensu explicatur: in quo exponendo non valde miror, quòd Syluius interpres pro luce tenebras dare, ac nos merum loqui tibi videatur, cùm Syluius ille sit, tu verò Paulus, hoc est Iurisconsultorum eloquentissimus. Itaque libens adeò tuam ego sententiam amplector, vt si quisquam obsignare, vellet Aram tenens iuratem, non aliter omninò Ciceronem scripsisse, atque tu rescribendū arbitraris: videtur interuenite appellatio tribunorum, nō MORÆ, sed auxilij causa. Nec me quidem ab hac opinione Adrianus Turnebus vnquam reuocabit, qui Aduers. lib. XIIX. cap. XXII. non MORE, sed auxilij causa legit. Quod ego tamen

non improbo, sed maximè potiùs laudo acumen hominis, qui primus hunc locum animaduertit mendosum esse; cùm vulgo ita olim conciperetur, vt nullam omninò haberet negationem. Sed hæc hactenus. Tu folium hoc interim accipe, quod legi, & alterum fac mihi quamprimùm cures. In quo cum argumentum huic non dissimile tractes, facilè futurum credo, vt non minùs in eo, quàm in isto, tu mihi orator æquè, ac Iureconsultus esse videaris, qui tam bellè, & eruditè Ciceronem ipsum ex oratore iureconsultum facis. Vale hæc raptim scripsi ante lucem in Aresiano meo.

HIERONIMVS BOSSIVS

FRANCISCO CAGNOLIO,

I. C. & in S. Ambrosij CANONICO,

S. P. D. *Epist.* 13. Mediolanum.

TV, puto, Furniusq; tuus, in eorum me adscribitis centuriam, apud quos, vt ait Plinius, ita natura comparatum est, vt antiquiora beneficia subuertas, nisi illa posterioribus cumules. *Etenim liberalitas erga me vestra ad instar est Virgilianæ Quercus, in qua ramus,*

Primo auulso, non deficit alter,
Aureus, & simili frondescit virga metallo.

Tantis me certè ornatis, ac oneratis potiùs quotidie muneribus, vix vt ea sufferam, cùm pro eisdem vel agendis, vel refferendis gratijs nullo modo sufficiam. Quamquam CAGNOLI optime, suauissime, in meum, te locum sufficio, vt facundia illa tua Manutiana homini persuadeas efficaciter me perpetuas, & maximas habiturum gratias de hisce humanitatis, & liberalitatis fructibus, quibus me prolixè adeò muneratus est. Ad hæc tu illi significabis Gasparem filium ad paucos dies vnum contra Auditores omnes pro suggesto esse de politioribus litteris in Academia disputaturum. Qui propterea, cùm nunc, quam qui maximè sit occupatus, nihil ad ALOYSIVM PIRCIVM rescribit. Quare non eum solùm excusabis apud istũ adole-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

adolescentem, sed à me etiam litteras expectabis nuntiantes, quòd fuerit tamquam Periodo Victor contra omnes coronatus. Vale. Hæc exaraui in Musæo ad pulcherrimam PRÆSIDIS ARESII effigiem, quam longè pluris facio, quàm sexcenta Megarica signa, & totidem siue Tullij Hermathenas, siue Attici Hermeraclas. Ticino.

HIERONYMVS BOSSIVS

HERCVLI TASSO

Poetę, ac PHILOLOGO,

S. P. D. Epist. 14. Bergomum.

FAcilitatem, ac fælicitatem potiùs in scribendo tuam elegantissime TASSE vt sum inter legendū admiratus, ità respondendo laudarem, si argumentum de quo scripsisti, scripsisti enim de me, non fidem abrogaret laudationi tuæ. Et quidem in tuis litteris ea mihi tribuis quæ cum singularia sint, & maxima, solùm affirmanda sunt de tui similibus; viris scilicet ingenio, & doctrina præstantissimis. Verùm quia in illa non à me poßunt reflecti, quin pro tua quadam potiùs officij compensatione, quàm pro veritate prolata videantur; nihil de te in præsentia dicam, quem tamen ijs laudibus, quibus me onerasti, & ijs longè maioribus, ornandum eße iudico. Itaque ad id veniā, quod me in ore, in oculis, in animo tibi eße scribendo narras: ardenter quidem ab amore, eleganter ab ingenio. Quorum in altero cùm tibi respondere possim, in altero non possim, hoc scias volo, nunquam me passurum, vt plus diligar, quàm diligam. Namque vinci in amore turpissimum est, Quod si, tibi vt debes persuaseris, nihil omninò erit, in quo meam operam, ac industriam, si vsus aliquando ferat, atque vtinam sæpissimè ferat, paratissimam fore non pollicearis, Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIERONYMVS BOSSIVS

IVLIO TVRRIANO,

Scalensis Templi PRÆPOSITO,

S. P. D. *Epist.* 15. Mediolanum.

E*Pistolas omnes, quas ad* CL. *SACCVM per interualla dedi argumentis diuersis, in vnum libellum coegi. In quo multi quidem honoris causa nominantur: amoris quam plurimi: tu cum paucis vtriusque, & amoris, & honoris. Itaque eius exemplum ab optimo,* & *elegantissimo* CAGNOLIO, *isto inquã in amicitia altero me, tibi dendum putaui.* Nec *verò, vt* libens excipias *librum, te rogo, cùm non ignorem quanta cùm humanitate me, ac mea omnia solitus sis tua spontè complecti. Vale, & faxit Deus, vt quod inquit Ausonius, sit*

Talis vita tibi, qualia vota mihi.

Raptim *Ticino Regio* 12. *Kal. Nouembreis.*

HIERONIMVS BOSSIVS

IO. BAPTISTÆ SOLARIO,

Poloniæ Regis, vt dicitur, AGENTI,

S. P. D. *Epist.* 17. Mediolanum.

O*Mninò epistolæ tuæ, mi SOLARI, ad amplissimos* Viros *illos* R. *mea causa scriptæ, hanc ipsam anni inferunt ætatem*

qua mixta leonis
Sydera sunt Cancro, rabidos qua Syrius ignes
Exerit.

N*amque vt me Heroibus illis de meliore nota commendes, tãta scribis cum amoris abondantia, vt ardentiùs nihil fieri posse videatur. Mirùm ni ijdem ipsi tuarum absorbeantur litterarum æstu, ac toti vicissim ad mea commoda sua velint incumbere authoritate. Rarum certè, pœnè q. dixerim singulare hoc est, quod tantas adhibeas faces vnius amiculi causa. His præsertim temporibus, quibus ferè omnes, si paucos exceperis tui similes, in eiuscemodi officio, sic nugantur, vt litteris tuis* Neronianas thermas *refrigerarent. Tantùm abest, vt quẽ*-

piam

piam aut excitent, aut inflamment, ad ferendam illis opem, quos sibi commendandos suscipiunt. Itaque eo tibi maior à me gratia debetur, quò rarius exemplum est hominum amicis suis tanto studio cupientium commodare. Vale RADAELIO, & CAGNOLIO nostris. P. Ticino pridie Eidus Iulias.

HIERONYMVS BOSSIVS
ACADEMICIS HVMORISTIS,
S. P. D. Epist. 14. Romam.

VT alia nulla re agri, qui nimia calorum vi exaruere, ad suam facilius reuocantur viriditatẽ, quàm si nubila vetis rarescẽtia, &

——— Solis super icta calore,
Mittant HVMOREM PLVVIVM;

sic ego diuturna admodum valetudinis, ac rerum grauitate labefactatus, & planè Scelepos, nec suauius exhilarari, nec vehementius excitari potui, quàm nuncio de eo proximè accepto, quòd in vestrã me Academiam, tanquam in Apollinis, & Musarũ chorum, humanissimè cooptastis. Etenim HVMORIS istius vestri, qui acerrima Vrbis, atq; adeò vniuersi Orbis, ingenia quotidiè magis, ac magis fœcundat; nominis inquam HVMORISTÆ Academici cõmunicatione iam sentio ingeniũ meũ, quod est per se tardũ, & agreste, mirabilem in modum, præfiscini hoc dixero, omnem fermè vernaculam suam deponere tarditatem. Atque vobiscum vtinam in isto doctrinarum omnium, & bonarum artium theatro versarer, vobiscum essem aliquando, vobiscum loquerer, vos ego differentes audirem: id profectò longè pluris à me fieret, quàm triumphantem Consulem videre, quàm in Auentino, aut Quirinali colle signa omnia, quibus alioqui tamen maximè delector, ROMANÆ recognoscere Antiquitatis. Sperarẽ vtique me euasurum consuetudine, & vsu vestro, si minus citharœdũ, quod de Græcis dictum est artificibus, saltem aulœdum, hoc est

Man-

Mansuetiorum Musarum cultorem aliqua ex parte tolerabilem. Tã sedula, & diligens (latinè hoc, & fortiter dicam, quia verè) mea eßet ratio in ijs obseruandis, quæ vos Reipublicæ litterariæ Consulares viri diceretis. Verùm cùm istud, PRINCEPS Illustrissime, nobilissimi ACADEMICI, quod me facturum, si isthic essem, polliceri poßum, exequi rerum mearum conditio non quiescit; eo fructu contentus viuam, quem ex HVMORISTÆ à vobis mihi dato nomine iam nunc, quamlibet absens, abundè satis percipio. Itaq; ne longum faciam, non minùs commodi, & vtilitatis, quòd fama, & exemplo vestro, ad præclara studia inuitabor, & erudiar, quàm laudis, & ornamenti, quòd eorumdem doctissimorum virorum cognominis dicar, & habebor; isto in beneficio mihi positum existimo. De quo tantas vobis gratiarũ res debeo, quantas, eius magnitudine perterritus, referre me poße despero, ac ne quidem, mea dicendi inopia impeditus, agere possum: habere verò, vt animo sum non ita fortasse angusto, certissimè possum. Quamquam in isto genere, vt iam occupata sunt omnia, nihil dici non à me solùm, sed ne à disertissimo quoque, potest, quod non pertritum, non vulgare, nonque sexcenties in gratiarum actionibus repetitum sit. Illud tamen votis omnibus opto, & cupio, vt mihi siue publicè scribenti, siue priuatim disputanti, liceat officijs meis istud vobis beneficium vestrum iucundius facere, ne malè posuiße videamini. Interim benè valete, & curate, obsecro vos pro singulari illa, quá me complecti cœpistis, humanitate, vt sterilem Boßij

----- ne deserat HVMOR arenam.

Ticino. xjv. Kalendas Augustas.

HIERONYMVS BOSSIVS

IO. THOMÆ GALLARATO,

Regio Mediolani SENATORI,

S. P. D. Epist. 18. Mediolanum.

AMpla quidem Mediolani, sed parum expedita negotia habet ASCANIVS meus. Pro quorum procuratione virum isthuc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

isthuc nunc temporis allegat pragmaticum. Huic autem ego oblatus magis, quàm rogatus deprecator litteras ad te dedi commendatitias. At qui res omnes, & causas, ad hominem pertinentes, sic velim tua suscipias authoritate tuendas, vt ex ipsa rerum difficultate, quæ tua sit erga me voluntas, & in ipso Senatu gratia, facilè ASCANIVS perspiciat. Non enim exiguæ laudi mihi duco futurum, si vulgò sciatur, quòd patronos habeam tui similes: viros scilicet qui ad mea, & amicorum commoda, sint ad instar Herculis, vt ait Euripides, potiùs rebus serijs, quàm leuibus idonei. Tu fac valeas.

HIERONYMVS BOSSIVS
ERYCIO PVTEANO,
AA.PP. Consiliario, & Regio Artis Orat. INTERPRETI,
S. P. D. Epist. 19. Louanium

AVdio te in Italiam reuocari, & quidem Bononiam; in ipsam scilicet Academiarum Academiam. Nobile sanè, ac honorificum postliminium: præcipuè cùm illud accedat, quòd magnum adeò stipendium sit tibi dictum, vt par numquam fuerit datum, aut Louanij LIPSIO tuo, aut Bononiæ TITIO meo. Agnosce, præstantissime PVTEANE, agnosce iudicia Italorum de te Qui enim cuiusquam secundò operam vtuntur, eo ipso, quod vtantur, eiusdem certè studium, officia, ac industriam probant, & sibi olim testantur perplacuisse. Nos quidem eiuscemodi vocationem primùm tibi gratulamur; mox verò vt eadem benè, ac feliciter eueniat Reip. siue Bononiensi, siue litterariæ, auguramur, vouemus. Sed illud in primis nobis ipsimet plaudimus, quod eò sis profecturus, vnde alternis facilè quatriduis mutua scriptione poterimus fructum capere suauissimæ collocutionis tuæ, ac singularis etiam eruditionis. Interim fac valeas. Hæc scripsi in Musoeo ad tuam ipsius imaginem sedens, quæ inter CL. SACCI, & DS. BONCIARII tabulas perbellè posita est. Ticino Regio,

HIE

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIERONYMVS BOSSIVS
ANTONIO OLGIATO,
Ambrosianæ Bibliothecæ PRÆFECTO
S. P. D. Epist. 20. Mediolanum.

PRimùm salutem tibi tuam per eruditissimum Arsagum à te mihi delatam, mi OLGIATE, reddo; ac gratias etiam maximas ago de honorifica, quam tu de me apud hominem fecisti, commemoratione. Mox verò per ego te Musas istas Borromæianas rogo, vt vnum atque alterum versiculum, qui in Bayphio legitur de Tunica Lati claui, bona fide in Chirographo descriptum mittas. Cùm enim sub prælo sint meæ de Senatorum Latoclauo Nouæ antiquæ obseruationes, nollem in his temerè Bayphij testimonium laudare, quod in Commentariolo quodam meo M. S. & lituræ, & litteræ etiam vacillantes, suspectum mihi reddiderunt. Tu tamen si commodare hac in re amico mihi volueris, curabis, vt eiuscemodi Bayphij scheda, cũ loci, libri, & capitis adnotatione crastino die, aut summùm perendie ad nos veniat. Nos certè vicissim operam dabimus, vt ipsæ ad te propediem mittantur obseruationes, in quibus tu quidem singulariter, & cum laudatione nominaris. Vale. SALMATIÆ, FERRARIO, & GIGIO, corculis istis Aonidum, Apollinisq; S. P. adscribo. Raptim Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS
CLAVDIO ACHILLINIO,
I. C. Poetæ, Philosopho, & Primario ANTECESSORI
S. P. D. Epist. 21. Ferrariam.

ME tibi valere significo, præstantissime CLAVDI: non tamen omninò rectè, sed quantùm sinit afflictus animus, ac pœnè fractus à curis. Cuius tu profectò ægritudinem leuabis maxima

ex

ex parte, silæta, qualia scilicet speramus, vouemus, auguramur, de te, tuoque statu nuntiaueris. Id quod te antea facturum tua sponte mihi ipse persuaseram in tuo discessu. Scitum enim Symmachi est, ijs, qui peregrè proficiscuntur, priores partes scribendi relinqui. *Sed quando nimis longùm siles, litteras ego auspicor ad te dare, vt te prouocem: vt eliciam tuas. Vale, Ticino Regio.*

HIERONYMVS BOSSIVS

PLACIDO CARMINATO,

BRAMBILLÆ, Iesuato, & S. Bartholamæi PRÆSIDI,

S. P. D. *Epist. 22.* *Vercellas.*

O*Mnium sanè maximum amoris argumentũ damus, cũ eorum, quos viuos dileximus, famã, ac facta Posteritati studemus, & conamur propagare. Quæ enim officia amicis adhùc viuentibus præstamus, negotiationis speciem habere possunt; quæ mortuis, non possunt. Itaque tuum mihi etiam atque etiã probatur consilium de statua PAVLO MORIGIO, qui te vnus adolescentem præclarè incensum pietatis studio, ac religionis, in Iesuatorum familiam cooptauit, honorificentissimè collocanda: laudãdus verò summopere mihi videris, quòd eandem elogio exornare velis.* Namque scio, quod de Capitone ait *Plinius*, ipsum plurimis virtutibus abundare, qui alienas sic amat. *Illud tamen non mihi probatur, quòd tanti viri elogium me iusseris cõscribere, qui ab ingenio parum, & ab arte minimùm in hoc genere valeo. Quamquam inscriptionem istam, quam, me dictante, Cæsar noster excepit, ad te, mi BRAMBILLA hac conditione mitto, vt si quid delendum, addendum, immutandumue animaduerteris, me liberè moneas: nec de eo solum quod ad exprimendos tuos sensus pertinet; sed de hoc etiam, quod spectat ad tuendam contra pseudo-criticos dignitatem meam. Vale. Elegantissimum adolescentem, ANGELVM MARIAM CALVVM à me saluere vibe quamplurimum.*

HIERONYMVS BOSSIVS

ANTONIO FRIDERICIO,

I. C. Theologo, ac PHILOSOPHO,

S. P. D. *Epist. 23.*

N*On ante hunc diem, quod tu fortasse desiderasses, & ego certè voluissem, ad eam quæstionem, quam mihi in* Viani *Bibliotheca dissoluendam posuisti, verbum aliquod scripsi per triduum ipsum dolore affectus dentium intollerabili, Et quidem si vllus* dolor natura hominis dimouet à suo statu, *hic certè, qui vel de* CONELII CELSI, *medicorum Ciceronis sententia, maximis tormentis annumerari potest, sic dimouet, vt qui eo premitur, se pænè deportatum existimet in sceleratam illam sedem, quam circum*

-------- flumina nigra sonant,
Tisiphoneq; impexa feros pro crinibus angues.
Sæuit, & huc, illuc impia turba fugit.

Itaque excusationem attuli cunctationis meæ longe iustiorem, quàm volui. Nunc verò cùm mihi aliquantùm benè à dentibus esse incipiat, in eo, quod me facturum promisi ingenij potiùs causa exercendi mei, quàm alterius cuiusquam erudiendi, fidem meam liberabo. Publica opera plurima extruxit E quibus vel præcipua forum cùm æde Martis vltoris, templum Apollinis in palatio, ædem tonantis Iouis in Capitolio. Fori extruendi causa fuit, hominum, & iudiciorum multitudo, quæ videbatur non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. *Locus est, quod te non præterit, Suetonij e lib. 11. de vita D. Octau. Cæs. Aug. cap. 19 de operibus publicis per eum instructis. Quem doctissimus Beroaldus sic explicat:* tertio indigere) Romæ antiquitus fuerat forum Romanum, de quo Martialis

Romanum propius, diuitiùsque forum est.

Quod olim totum Cæsar dictator intexit velis: quod Cato Censorius sterneadum muricibus censuerat, vt ita litigantes eijcerentur. *Hæc autem extrema Beroaldi verba non leuem tibi*

reli-

reliquere dubitationem, quidnam illud esse poßet, quamobrem strato muricibus foro, id genus hominum inde abigeretur. Quod cùm apud Vianum ex me tu quæreres, id ego quod in mentem, ac potiùs inbuccam venit, respondi ex tempore: atque id factum arbitrari me dixi, vt reuerentia muricis, hoc est, vt tunc verbum interpretabar, purpuræ, litigantes non tam ab alijs prohiberentur, quàm sua ipsi sponte procul absisterent. Sed cùm in hac tu mea responsione non valde acquiesceres, rogasti, ac contendisti, vt tua causa Antiquariorum libros peruolutarem, donec aliquid inuenirem, quòd apud Romanos id in vsu fuisse comprobaret. In quam quidem curam libenter admodum, & maxima incubui cum voluptate. Quamquam nihil omninò apud maiorum, minorumue gentium scriptores legerim, quod opinioni responderet meæ. Illud tamen aßequutus sum, aut certè me aßequutum puto, vt facilè hunc nodum, qui mihi, addo etiam tibi homini ingeniosissimo, Gordianus videbatur, explicare possim. Cùm igitur Beroaldus Muricibus sternendum forum dixit, non murices posuit pro aliquo opere serico eius coloris, qui ex Muricis marini piscis humore; & de quo Virg. lib. 4. Æneidos,

------ Tyrioque ardebat muricè læna
Demissa ex humeris;

sed per murices acutos lapides intellexit, de quibus sic idem poetarum princeps lib. 5.

Concussæ cautes, & acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.

Quare non poßum non laudare Catonis Censorij ingenium, qui eiuscemodi fuerit vsus artificio ad arcendos è Romano foro litigatores. Fit enim natura, vt quisque ab eis locis libenter absit, in quibus cùm saxis strati sint, vt cùm Plinio dicam, muricatis, facilè pedes offendat. Responsum habes, mi FRIDERICI, ad ea, quæ petijsti, si minùs pro expectatione tua, pro mea quidē certè intelligendi, & de his rebus iudicādi facultate. Quam tamen nisi tu homo probaueris in hoc genere præstātissimus, nec ratā esse apud me, nec firmā volo. Interim cūra quā potes diligētissimè, vt valeas ANTONIVM BIAGVAZZONVM mihi salutabis quam poteris officiosissimè.

HIERONYMUS BOSSIUS
HIERONYMO CARANDINO,
Poetæ, Theologo, & Lateranensi CANONICO,
S. P. D. Epist. 24. *Mutinam.*

V*Ersus tuos,* CARANDINE *præstantissime, quos mihi* Theodosius *dedit, nec semel, nec sine cura perlegi. Digni planè visi sunt & ingenio tuo, quod à me plurimùm suauitate sua exosculatur; & argumento, quod totum de viro est laudatione, quantumuis maxima, exornando. Itaque mea hæc erit de te, tuisq; carminibus censura, vt non ipsum magis qui laudatur* BASILIUM SERENIUM, *vocem, quàm te, qui laudas* Sirenem dicam. *Vale raptim ex Aresiano meo.*

HIERONIMUS BOSSIUS
BENEDICTO SOCIACO,
Theologo, & POETÆ,
S. *P D.* *Epist.* 25. *Mediolanum.*

P*Roperante ad finē typographo, qui* CL. V. BELLONI *nostri librū excudit, monere te omninò debeo, vt carmen tuum siue confectum mittas, siue promißum facias: Etenim cùm promissorum certa debitio sit, vereor nè optimus iste Iuris Consultorum, vbi primùm venerit dies, qui cæpit ab hinc mensem cedere, aut tibi* dicam scribat, *qui stipulanti spopondisti, aut mihi, qui præs datus sum,* iudicium denuntiet. *Quippe tanti facit scriptiones tuas, vt librum, alioqui suis ornamentis ornatissimum, mordicùs nolit, præcisè neget, in vulgus emitti, nisi si priùs tuo adscripto nomine, tuoque adiuncto carmine, quasi censura adprobationis, in ipso limine, & vestibulo, suum istud volumen commendetur. Porrò autem mi* SOCIACE *elegan-*

gantissime id laudi nō minùs tibi, quàm ipsi BELLONIO *futurum persuadebis. Cuius rei causa, vt verbo vtar Plautino,* in mundo est. *Namque cùm nemo nesciat Antecessorem hunc nostrum æque Philologia, atque iuris prudentia eum esse, vt facilè cum Brissonijs, Cuiacijs,* Ræuardis, *Pratæis, Alciatis, magnis illi nominibus, conferri possit; multas iam habet multorum, ac illustrium quidem, virorum laudationes, quas homini sua ipsi sponte obtulerunt nouo operi præfigendas. Sed tuam tamen imprimis Musam, quæ laudantium* Poetarum familiam ducat, *operiri mihi videtur. Videtur autem? Tanta potiùs cupiditate cupit, vt omninò seueritate Catonis deposita ambiret, nisi ambitum tolleret promissio tua, ac potiùs nostra. Cuius nexu vt fidem actutùm liberes, te iterum moneo: te primùm rogo: tantùm certè non vrgeo. Quamquam Ausonianum illud libet tibi occinere:*

Si benè quid facias, facias citò, nam citò factum
 Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Cætera tute nosti. Præterquam quod ipsa operis inscriptio, proxima, & continenti quadam ratione hortatur, vt ne id Spissiùs *à te fiat, quod celeriter homini præsertim cupido, & amanti, præstandum est. Vale.* GASPERI SCIOPPIO V. *quidem ingenio, ac iudicio supra humanum prædito, salutem plurimam. Ticino Regio.*

HIERONYMVS BOSSIVS

ANNIBALI GVASCO

Oratori, Poetæ, & PHILOSOPHO,

S. P. D. Epist. 26. Alexandriam

L*Ongè sum occupatior, quàm animæ Pithagoricæ, quas,*

..... vbi mille rotam voluere per annos,
Læthæum ad fluuium Deus euocat agmine magno,
Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant
Rursus, & incipiant in corpora velle reuerti;

hoc

hoc est nullum ut unquam habeant tempus, aut locum requiescendi. Sed volo tamen mea potiùs abijcere, quàm in eo tibi, studio omni, ac diligentia, non satisfacere, in quo quidem, quòd mea opera uti volueris, singulare mihi ornamentum positum existimo. Itaque hoc tibi per sanctissima nostræ amicitiæ iura, polliceor, quòd æneis characteribus nullũ planè verbulum, ne dum versiculum, libelli tui patiar ante excudi, quàm optimè fuerint omnia cum archetypo rencensita: & si quæ in eis brarij, aut operæ peccauerint suo nitori restituta. Neque verò

---- Lucina, dolentibus
Iuno dicta puerperis

Terentianæ Glycerio magis maiorem *dum eniteretur*, opem *tulit, quàm ipse adero præstò typographis opusculum istud quasi ingenij tui fœtum, edentibus, parturientibus. Quod si in meis scriptionibus recognoscendis, dum proferentur in apertum, errores aliquando me legentem fugerunt; id certè accidit, quia recenti rerum scriptarum memoria falsus, ea mihi videbar in charta oculis usurpare, quæ erant in animo. In tuis autem euenire nihil tale potest, cùm eas, non antea unquam lectas, nunc primùm videam. Addo his quod summa erga te mea beneuolentia Argum me faciet ex Talpa: ex coclite oculeum. Amor certè, quo te unicè diligo unicis ornatum virtutibus, non aliam ob causam cæcus poterit appellari, quàm quòd oculos ab eo accipiam ipse commodatò, ut uniuersa obseruem, & notem acutiùs: certiùs corrigam, & emendem. Tu interim vale. Ticino Regio.*

HIERONYMVS BOSSIVS

IVLIO ARESIO

Regio Consiliario, & Senatu Mediolani PRÆSIDI,
S. P. D. Epist. 27. Mediolanum.

EX *ijs litteris, quas ad me non ita pridem dedisti, Præses amplissime, nonnullas tibi cum chiragra, si minus cum podagra, inducias esse cognoui. Tuam enim ipsius manum agnoui in subscriptione. Id quod sanè fuit non exiguæ mihi voluptati. Sed nos tamen cupientes integro*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

tegro gaudio perfrui de integra valetudine tua certiorem nuntium desideramus. Cum igitur ALOYSIVS CAGNOLIVS meus Mediolanum proficiscatur Epistolam homini ad te trado perferendã, qua te sic volo salutatum, vt vel ipsa Higeia sanior fias. Spero autem de te in CAGNOLII reditu ea intelligere, pro quibus Soteria sim ego facilè debiturus. Quæ quidem iam paro ex Musarum, & Themidis penu. Tu interim fac, quod facis, vt me diligas, teque amari à me tibi persuadeas vehementissimè. Ticino.

HIERONIMVS BOSSIVS

THOMÆ STIGLIANO.

Equiti, & POETÆ,

S. P. D. *Epist. 28.* Parmam.

NOuã tibi de nouo Mundo tui poematis editionẽ, STIGLIANE optime, præstantissime, non possum non etiam atque etiam vehementer gratulari. Etenim hoc vno præcipuè opere non minore ingenio, & vena, quàm studio, & arte, à te conscripto, admodum præclarè & eximiè tuum nomen ab omni adseruisti Mortalitate. Porrò autem, si præter scriptoris doctrinam, & eruditionem,

Victurus genium debet habere liber;

in tuo isto poemate nihil eorum profectò,

.... quæ donant sæcula chartis.

omnino desideratur. Itaque tu facilè vitabis Libitiam, & legeris laudaberisq; donec erunt in terra homines, qui studia colant bonarum artium: qui musis operentur. Mihi, quidem, qui, licet plurimum non videam in litteris, Plautini tamen ad instar Sceledri

Meos oculos habeo, nec rogo vtendos foris.

omnia visa sunt prudenter excogitata, ingeniosè disposita, eleganter expreßa, atque inter se, quod primum est in omni scriptionis genere, mirabiliter connexa, Quandoquidem nullum centonem adsuisti præter rem: nihilq; ob eam tantùm causam, vt rimas expleret, posuisti. Id quod familiare est quibusdam nostri æui carmi-

num

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

num fartoribus potiùs, quàm poetis: quibusdam inquam Musarum Ectromasi. Demùm nihil fabula tua ista, nihil episodia habent, quo stare non possint pulcherrimè. Ego certè de ea re ita censeo, atque ità inter legendum de tuo libro iudicaui. Neque enim, vt ait Plinius, soli iudicant, qui malignè legunt. Tu interim vale, & viue, ac eam in primis fac mihi beneuolentiam conserues, quam verbis mihi tuis VALERIANVS CASTILLIONÆVS in suo reditu Parmensi denuntiauit. Hæc scripsi, ac veriùs exaraui, in Musæo ad imaginem sedens magni LIPSII. Ticino Regio ipsis Nonis Septembribus.

HIERONYMVS BOSSIVS

PETRO CANTONIO,

Antiquario, Philologo, & IVRECONSVLTO.

S. P. D. Epist. 29. Mediolanū.

SEpulchrorum elogia, quæ mihi æneis typis descripta, cùm istbic essem Mediolani, dedisti, tantùm certè habent antiquitatis, siue ratio Ortographiæ, siue animi cogitata, siue voces denique ipsæ attendantur, vt facilè possent quemlibet fallere Antiquarium. Et quidem si in eis pro I. ANT. ZERBIO Ti. Sempronius Ti. F. Ti. N. aut pro Callent. C. Sulpitius aliquis reponeretur, nemó esset omnium, qui priscis illis temporibus facta esse non existimaret. Sed non ego tamen in eis perlegendis, quod nonnulli cæca ducti quadam superstitione de epitaphijs arbitrabantur, memoriam perdidi: & hoc illud est, CANTONE V. CL. quod me monere alioqui potuisset, elogia esse recentiora; quamquam temporibus Ciceronianis, & ijs longè antiquioribus, litteris consignata viderentur. Tantùm abest, vt eorum lectio meam mihi memoriam extinxerit, vt magis ac magis renouarit. Quippe dum illa repeterem legendo, mihi venit in mentem binas illas inscriptiones à te petere, de quibus mecum fecisti in Musæo tuo commemorationem: alteram festam: funestam alteram. Itaque rogo te,

id modo

id modò tua patitur humanitas, exemplũ des mihi inscriptionis, quàm tu nomine S. P. Q. Mediolanensis ad festæ portæ exornationem confecisti, quo tempore sanctorum corpora, ita iubente FEDERICO BORROMEO Cardinali amplissimo, per vrbem circumlata fuerunt in pompa, & supplicatione. Cui etiam adiungas velim BENEDICTI SOCCIACI nostri inscriptionem (cum de poeta loquar verba vtar poetæ) sepulchralem, quam sibi ipse parauit, vt in sepulchro (sed Dij meliora ferant) incidatur. Illam enim vt cupiam videre, atque etiã cùm sãctioribus quibusque scriptis habere in Hermathena mea, si causam quæris, facit, præter religionem, ac pietatem, doctrina, & eruditio tua: hanc verò desidero, tum quia mea singularis, ac planè fraterna in SOCIACVM beneuolentia ita postulat; tùm quia hominis lepores in ea perlegenda non vulgarem scio mihi allaturos voluptatem: excepto, quòd in ipsa de morte amici agatur, qui vt annos Nestoreos viuat, si quis alius, dignissimus est. Interim vale, & IOSEPHVM RIPAMONTIVM Mediolanensium Thucididem, fac, quæso te, mihi salutes. Ticino

---

HIERONYMVS BOSSIVS

IO. BAPTISTÆ SORMANO.

I.C. & apud Ticinen. Criminum Iudici, ac PROPRÆTORI, S. P. D. Epist. 30. Ticinum.

HÆc mea gratiarum actio, quamuis admodum sera, reprehendi nullo modo aut potest, aut debet, cùm tu beneficiũ in me contuleris absentem, non petentem, non cogitantem. Hodie primùm, SORMANE præstantissime, ex fratris epistola cognoui, quanta cum humanitate illum semper audiueris, quoties pro me in G. B. Vespertilionem diceret: quantaque cum liberalitate honorariam mercedem, quæ tibi pro iudicato, ac iudicati subscriptione, debebatur, mihi fueris elargitus. Cùm nunc itaque statim, accepto hac de re nuntio, litteras mittam, quibus eiuscemodi officium persequor, omnis omninò vt arbitror, pe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

rijt culpa tarditatis. Quamquam huic affinis crimini apud te nemo esse potest, qui illud vnum spectas, vt beneficium benè ponas, non autem, vt gratiæ tibi aut agantur, quod homines vani desiderant: aut referantur, quod auari, & fœneratores volunt: aut habeantur, quòd superbi, & alienæ tyranni libertatis, exoptant. Ita est neminem iuuas, quamquã iuues quã plurimos, aut quæstus, aut dicis causa. Sed illud tamen admonet me, vt gratias agã tibi singulares, quòd cum ex illorum tu numero haud sis, qui sine delectu beneficium, vt morem suo morbo gerant, proijciunt; me dignum censueris iudicio tuo, de quo vel absente, ac nesciente quidem, benè merearis. Quod cùm rarò admodum accidat, id mihi velim scias longè gratius fuisse, quàm vt verbis declarare possim. Neque tu propterea ignorabis, me, qui beneficium dare, quàm accipere, malo, nulli mortalium, quàm tibi, libentiùs debere, qui mihi omnium commodasti libentissimè. Eodem enim animo, vt ait Seneca, beneficium debetur, quo datur. vale. Mediolano.

HIERONYMVS BOSSIVS

IO. BAPTISTÆ COSTÆ.

I. C. & Primario Ticini ANTECESSORI.

S. P. D. Epist. 31. Ticinum.

VOx est Astræi vatis, COSTA iuris ac legum peritissime, vt ne quis mutilum si quando larem struit, inuc politum

Deserat.

Quæ me vox quidem ipso meridie noctis superioris legentem monuit, vt qui Museolum meum institui CL. VV. imaginibus exornare signa omnia, quæ huius loci esse possint, multò posthac diligentiùs anquirerem: quanquam id fecerim diligentissimè. Non certè ita pridem LIPSIO PVTEANVM Laconica

——— virtus cui contigit omnis,

atque MANVTIO, & MVRETO SACCVM

Quem

Quem pluris faciunt nouem sorores
Quàm cunctos alios

Adiunxi: quare mihi ANDREAS ALCIATVS, atque etiam PHILIPPVS MASSINIVS meus, delicium Astrææ Apollinisq; te vnum videntur desiderare, qui

Quod ius pontificum veterum, quid scita Quiritum
Quæ consulta patrum, quid, Draco quidue Solon
Sanxerit

melius, quàm sua quisquam somnia, nosti. Mites igitur si me amas tuæ exemplum effigiei, in æs probè à GALLO incisæ, quam mox coloribus, me indicante, ab aliquo Mediolanensi APELLE in tabula linea expreßam figere poßim. Mittes autem repeto si me amas, ac quia potiùs amas nec me vis ea voluptate priuare, quam singularem, & maximam percipio, cùm aliquo huius generis ornamento facultas mihi datur Museolum meum locupletandi. Vale Roscii iure-consultorum Hæc scripsi in Hermathena mea ad indaginem sedens DSS. Maioragij.

HIERONYMVS BOSSIVS
FRANCISCO BOSSIO,
e Ticinensi Collegio, & Cæsareo Scribę, FRATRI SVO,
S. P. D. Epist. 32. *Ticinum.*

MAgnam mihi voluptatem narras, quòd domestici omnes valeant. Sed illud inprimis iucundum fuit intelligere, quòd LVDOVICA vxor, si minùs omnem ex patris soceri mei obitu susceptum mœrorem abiecerit, aliqua saltem ex parte dolorem fuerit consolata Verebar enim maximè ne in morbum, ac in aliquam præcipue atram bilem incideret, quòd luctui, ac lachrimis nullus ab ea modus poneretur. Sed verba solantium apud se frigere voluit, vt intelligeremus, quàm pulchrè sciat prudentia illa sua singulari (præfiscini hoc dixerim de coniuge) qua sexum facilè superas, animi ægritudines mitigare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

Itaque maximas tibi gratias ago, habeoque, suauissime frater, quòd illam mihi suspicionem, qua perculsus nullam requietem animo inuenire poteram, isto nuntio depuleris. De G. B. autem, quod scribis pecuniæ reliquum, mihi abhinc annos duos debitæ, nondum patri numerasse, teque illi propterea dicam scripsisse, ægrè admodum fero. Pecuniarias enim causas, vt inquit Symmachus, vsque, ad detrimentum amicitiarum non oportet extendi. *Itaque, verè dicam, si abundarem, profectò vt retinerem amicum, nummulos istos, quos homini mutuo dedi, gratis dono remitterem. Sed ego tamen in-posterum isto facto cautior factus curabo, vt ne, ò tempora? ò mores? beneficijs inimicos parem. Vale. Mediolano.*

HIERONYMVS BOSSIVS
COSMO ALAMANNIO,
Theologo è Societate IESV,
S. P. D. *Epist.* 33. *Ticinum.*

GRatæ, ac iucundæ adeò mihi acciderunt litteræ tuæ, vt inter legendum oscula eis dederim Catulliana. *Et quidem Marianus, cuius causa ad me scripsisti, opera cuiusquam vti non poterat, qui me vel authoritate, vel testimonio suo, magis commoueret. Sed cùm Marinus in cuius locum* Marianus, *affabrè vna littera litterator, suffici vellet, vix ipsum quatriduum è nostro Collegio perhonesta missione abierit, non adhuc integrum mihi est, in eo tibi, quod petis, morem gerere. Præsertim cùm numerus conuictorum non ita magnus sit, vt valde Præfectum desideret: vnus quippe ad eorum curam sufficit Hippodidascalus. Illud tamen me certò facturum* polliceor, *vt quo primùm tempore III. Viri mecum de Præfecto renuntiando communicauerint, adolescens iste intelligat tuam commendationem non vulgarem, & sibi maximo adiumento fuiße. Curabo inquam, vt in comitijs huic vni, reiectis cæteris competitoribus, qui iam prensare cœperunt, prouin-*

cia ista deferatur. Interim vale, & saluta mihi TANIUM tuum, & AQVILINVM meum. Ex Mediolanensi Calchorum collegio.

HIERONYMVS BOSSIVS
FRANCISCO CAGNOLIO.
I. C. & in S. Ambrosij CANONICO,
S. P. D. Epist. 34. Mediolanum.

Vide, obsecro te, mi CAGNOLI, quàm bellè, & opportunè ceciderit, vt COLLEGII CALCHII ADMINISTRATORES IIIVIRI, nonnullis amicis deprecantibus, missionem mihi, siue honestam, siue caussariam, exeunte Augusto dederint, quam summa contentione antea petitam, semel, ac iterum præcisè denegarant. Etenim meam nunc operam illis, quod anno superiore feci pro virili sedulò, ac diligenter, vel si maximè vellem, præstare tamen minimè possem. Quid ita rogas? malè narro: atra bili correptus in eam febrim, quam Medicorum Cicero Saturni filiam vocat, incidi, atque ipso bimestris spatio quarto quoque die iacui: &, quod tibi, puto, ZERBIUS noster dixit, adhuc iaceo. Nec tantulùm quidem auxiliaria, quod ait ille Græcus, Asclepij medicamenta, esse auxiliaria sentio. Quare, vt cum Homero loquar, in genua cor mihi decidit, pertimescenti, ne me sonticus iste morbus vertentẽ hanc hyemem lecto me defixum teneat. Hoc autem, vt Deus idem optimus, idem maximus auertat, tu, qui me oculitùs amas, pura mente sacrificabis, vt mea caussa lites, vt valeam, vt viuam. Sed ad rem quæso reuertamur. Facultatem profectò in vrbem patriam redeundi, quam partim difficili rerum mearum statu coactus; partim cæli MEDIOLANENSIS, quicum mihi æstiuo tempore nõ benè conueniebat, temperatione commotus, petij, si minùs ego obtinuissem, aut ipsa facilè impetrasset ægrotatio, aut Collegium ab Academicis, & litterarijs exercitationibus, me mei officij munus non obeunte, omninò refrixisset cum non vulgari incommodo iuuentutis. Quod vellem primùm nobilissimis, ac præstantissimis

viris,

viris, ROMVLO SOLÆ, & PAVLO AMBROSIO GERARDINO, atque etiam, si lubet, & vacat, Romanæ probitatis seni, BIVMIO significes, ne diutiùs eos pigeat, quòd sapiùs rogati nuncium remißerint, vt res mihi meas haberem. Deinde verò cuperem, vt meo nomine eisdem graluleris, & bonum factum dicas, quòd hominem in mea prouincia succedere voluerint, qui maximè omnium, aut quidem certè quàm qui maximè, eorum ingenijs, ac genijs satisfaciet. Quod sibi cùm certò futurum polliceantur, nec temerè profectò, & scienter admodum faciunt, illum passim in cœlum ferentes omnibus laudibus doctrinæ, & eruditionis: vitæ, ac morum integritatis. Quæ laudes quàm veræ sint, encomia facilè declarant, quibus eundem ab ipsismet III viris, cùm eandem Spartham relinqueret, affectum, & ornatum fuiße intellexi: nec quidem aut per nebulam, aut in strepitu, quod ait ille tuus. Ex quo sine vlla dubitatione fiet, vt ADMINISTRATORIBVS cum Augusto, ac clamantibus: contenti sumus hoc Catone, vndique confluant, & concurrant, qui filios suos Artito isti viro operam dare velint. Quare cùm propiùs absint, ac iam potiùs adsint, Calendæ Nouembris, quibus de more Conuictores, tanquam Musarum exercitus ad arma, & signa, ad politiorum litterarum studia repetenda, is oratione aliqua est adhortaturus, vt in concionem mea caussa eas, rogo te, si modo harum rerum cupidissimus rogandus es. Sed fortasse tibi per Claustritimum cognominem meum, qui nunquam ita libenter est Admissionalis, ire agere licebit. Quod si contra accidet, vt à sua discedens consuetudine, fores tibi recludat, HOC AGE: hominiq; de superiore loco diserenti aures attentissimas præbe, quò mihi aliquid, cùm huc veneris Ticinum vnà cum GASPARE oculissimo tuo, bona fide, ac memoria narrare possis. Namque si is, tantusq; orator est, qui, & quantus apud III viros audit, audit autem sine controuersia eloquentissimus; neque tamen, arbitror, vt apud Agellij Iulianum adolescens ille; argumentum sibi, de quo agat, proponet doctorum, hoc est tui similium, auribus, & consessu dignum: ac verba decemuiralia, duodecim tabulas, & latinitatē puram putam loquetur. Præ quibus cùm verear, ne sensus, & formulæ

dicendi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

dicendi Orationis meæ, quam ut in manibus hominum esse patiar, quotidie magis urges, mortuaria glossaria, ruta cæsa, & vitrea fracta videantur, de illa vel ad te danda, vel in apertum proferẽda, nihil admodum libet mihi in præsentia deliberare: Atque adeo, vere dicam, cùm legis illius, quæ apud Romanos tumultuaria theatra esse non perpetua iubebat, in mentem venerit; adinstar cunei, & orchestræ spectaculorum scriptionem istam meam, quam ut inseruirem scenæ tunc præsenti, stylo feci plane tumultuario, quasi indicta siremps mihi lex sit, obliuioni dari omninò deliberatum est. Vale CAGNOLI suauissime,

- - - - - omnibus è meis amicis,
Antistes mihi millibus trecentis.

Vale inquam, & C. V. IO. BAPTISTAM SACCVM, Senatus à secretis, urbis vestræ decus, ac seculi, & Musarum delicium, mihi saluta quàm potes officiosissimè. Hæc prima face scripsi in Musæo nostro ad Illustrissimi, Amplissimique Præsidis ARESII imaginem, cuius mihi gratiam, ut conseruet repetita identidem testificatione voluntatis erga illum meæ, rogabis MALVETIVM tuum. Ticino 4. Kal. Nouemb.

HIERONYMVS BOSSIVS BARTHOLOMÆO MALVETIO, V. Amiciss. & PHILOMVSO, S. P. D. Epist. 35. Mediolanum.

Pace dictum sit tuæ gentis: non te amplius MALVETIVM, sed Euangelum nominabo. Non debet enim inauspicato nomine vocari, qui auspicatissima nunciat. Porrò autem magnam rem voluptatum, magnum gaudium narrasti in epistola tua. Cùm ego quidem ex illa intellexerim, quod filiolum nuperrimè Mæcenas meus susceperit, lætitijs incessi maximis, incredibilibus. Quas tu tamen

men non leuiter cumularis, si minùs patieris à me ignorari, qui dies Nominalium fuerit: quod nomen puello infanti impositum. Addes etiam, si libet, quæ lustratrice: quo lustratore. Interim vale.

HIERONYMVS BOSSIVS
AQVILINO COPPINIO,
Regio Artis Oratoriæ INTERPRETI,
S.P.D. Epist.31. Ticini.

ECce tibi quã legere desideras BONCIARII Apologiã ad Æneã Spennactium, ac potiùs in Spennactium, scriptam. Misissem citiùs ex promisso, si nocte superiori adeò me animi perturbationes non affecissent, vt nec somnum de more tunc videre potuerim, & ad hanc vsque horam, præter quidem consuetudinem meam, obdormiuerim, eo ipso temporis momento consopitus, quo

Pellebat somnos Tithoni roscida coniux.

Itaque tibi eò citiùs perlegenda, ac deuoranda est, quo seriùs hanc ego tradidi perferendam. Etenim vix experectus sum, cùm in lecto mihi iacenti, & adhuc somniculoso, tabellarius litteras pertulit CL. SACCI, à quo librum commodato accepi, Apologiam repetentis. Quas quidem litteras ad te mitto cum meis complicatas, vt postquã BONCIARIVM legeris, homo tu mirè cupidus in hisce tuis vacationibus res nouas intelligendi, aliquid habeas etiam, quod legas. Vale ex ædibus.

HIERONYMVS BOSSIVS
IVLIO ARESIO,
Regio a Secretis CONSILIARIO, & Senatus PRÆSIDI,
S. P. D. Epist. 37. Mediolanum.

ET tibi gratulor, & verò etiam ex prisco ritu gratias ago, Præses Amplissime, quòd tibi natus sit filius, mihi patronus. Sed illud in

primis

primis, quòd is regia *sit* forma *præditus, quodque integra sanitate, ac valetudine. Quamobrem* ex lege Seruia *nec tu pater pro filio, nec ipse cliens pro patrono* Iunoni Lucinæ numum dependere *recusabimus. Quem tu tamen ex Pluti censu depromis aureum: ego ex Apollinis & Musarum, charteum; qualis scilicet harum, eiusq; sectatoribus census est fere omnis, & suppellex. Accipies igitur cum hisce litteris carmen, quo non magis puero nasceti nos plaudimus, quàm ipsam MARGARITAM vxorem tuam nobilissimam, optimam, lectissimã laudamus. Cui quidem, cùm scitulum adeò puerum in lucem ediderit, tanquam Lucinæ, est persoluendum quicquid hoc est, quod ad te mitto carminis. Vale, & viue* cum Vituno propitio *ætatem Nestoris. BELLONIVS, & PICENARDVS S. tibi P. adscribunt.* Ticino *Regio.*

HIERONYMVS BOSSIVS

ALEXANDRO LODOVISIO

Archiepiscopo Bononiensi, & S. R. E. CARDINALI, S. P. D. *Epist. 38. Bononiam.*

OPportune *omninò, ac cũ Rhamnusia propitia hesterno ego die reddidi Præsidi SQVARCIAFICO, Cardinalis Amplissime, litteras tuas. Etenim & hodie Senatus habendus est, & omnia se iste facturum ostendit, vt* contra omnes *cõpetitores vnus ego victoria potiar: dicam prisco, & scenico ritu, vt* coroner. *Quoniam verò non me fugit, quantopere me ornatum cupias, nunc has ad te mitto, eius epistolæ prænuntias, quam propediem, nisi fallor, ac copiùs vt spero, ab homine accipies* lauream. Nec *certè minoris iucunditatis, voluptatisq; tibi, quàm mihi dignitatis & commodi, præpersuadeo, si ea consequar, quæ tua mihi procurantur commendatione. Interim Vale, Princeps immortalitate dignissime, ac me vt cœpisti ama, & conserua in tuis. Mediolano.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIERONYMVS BOSSIVS

VITALIANO VICECOMITI

BORROMÆO, Adrianopolit. Archiep & Pontificio ad Cæsarem NVNTIO,

S. P. D. Epist. 39. Pragam.

EX voto, & vero loquar. Legatio tua ita ista, Amplissime VICECOMES, maximum quiddam certè habet in se dignitatis quòd à summo Pontifice sit, quòd ad Cæsarem. Horum enim vtroq; in terris

Minor est quisquis maximus est hominum.

Sed eam tibi tamen, quòd alij, puto, faciunt omnes, vnus ego non gratulor. Tantùm quidem, iudicio meo, iusta gratulationis causa affertur, cùm præmia, & dignitates, quæ virtuti cuiusquam deferuntur, hanc sua æquant magnitudine. Tu verò quamuis Adrianopolitani *Archiepiscopi thiara, & pontificio isto legationis munere fueris exornatus, longè maiora tamen mereri vt videris, ita iudicaris; addo etiam prædicaris. Ex eo ipso igitur, quod tibi reliqui gratulantur,* auspicium ipse non vitio factum *eius dignitatis capio, quæ maximis meritis tuis inter illos* S. R. E. *purpuratos patres maxima debetur. Cuius causa, vti* auis addixit, *tum incredibile gaudium me gauisum ire certissimè spero, cùm legationem renunciaueris. Quo quidem tempore fiet, vt ego non vltimus aut ab officio scribendi, aut ab obseruantia, meam tibi offeram gratulationem. Interim te ijs Deus conseruet, quæ tibi vouemus cupimusq;.* Ticino *Regio.*

HIERONYMVS BOSSIVS

ANTONIO QVERENGO.

Vtriusq Signaturæ, vt dicitur, REFERENDARIO,

S. P. D. Epist. 40. Romam.

MAior numquam temporis fuit, QVERENGHE præstantissime, quàm nostra hac ætate poetarum copia, qui versus siuè Italicè,

licè, siuè Hetruscè conscribant. Vix certè quisquam adolescens, vt Eumolpus inquit, versum pedibus instruxit, cùm fonte statim Caballino labra sibi proluisse, atque in monte Aonio se somniasse arbitratur,

..... vt repente sic poeta prodiret

Eamque ob rem quotidie magis tot, ac tanta eiuscemodi carminum volumina in vulgus emittuntur, vt iam ipsa mihi poesis non minùs, quàm Æmilio iuris prudentia, multorum Camelorum onus esse videbatur. Verùm in hac poetarum turba pauci admodum sunt, qui vnũ Petrarcham sibi imitandum proponant. Quemadmodum enim, Atticis maximum sibi decus facundia comparantibus, Lacones metu collationis in diuersum studia destinarunt, ita bona pars neotericorum, qui præclaram istam, ac planè masculam carminum conficiendorum rationem, à Florentino vate propositam, se assequi posse desperarunt, versus sinè sensu cœperunt contexere epithetis, antithetis, sinonismisq; : ac verbis etiam in eisdem ludere lasciuientibus, luxuriantibus. Quamquam horum poemata ab ijs tantùm leguntur, qui in formosa muliere nihil præter vestem & tunicam: aut folium in arbore, aut pampinum in vite amant: hoc est, vt ego interpretor, qui in poesim aliud nihil quærunt, quàm puerilia quædam, & ludicra verborum scitamenta. Contra verò ij, qui versus cum Petrarcha scribunt, amatores, ac laudatores habent optimè catos, & cordatos viros, quibus maximè omnium ius est in Musarum Senatu pronunciandi, Si quis autem nostræ ætatis homo in suis scriptionibus eum exprimet poetam, quem supra honoris causa nominaui, id tu certè facis, adeò, vt, quod Sceledrus inquit Plautinus,

è summo puteo similior nunquam possit.
Aquæ aquæ sumi,

quàm tui sunt eius versibus similes. Tua enim carmina venusta sunt cùm grauitate, & sunt cum venustate grauia: nec suis carēt leporibus, & amœnitatibus: liberalibus quidē illis, & ingenuis; non Ciclicis, & iocularibus, quales ferè sunt omnium tēporibus nostris suum nomen in lyricis vatibus profitentium delirationes. Atqui in tuo isto Hetrusco-

rum poematum volumine, quod mihi GASPAR SALVIANVS vir planè Romanæ probitatis, humanitatisq; istinc dono misit, vel de suo ære soluto tabelarijs portorio, propè adeò mihi videris ad Petrarcham accedere, vt ipsum IOHANNEM CASAM, bone Deus qualem, ac quantum virum? propiùs accesisset non putem. Sed tamen laudem mereris, DSS. ac eruditissimo QVERENGHE magis maiorem, quòd hoc genere studij, tamquam secundæ mensæ bellarijs, ac potiùs tanquam condimento, non cibo, vsus fueris, ad maiora scilicet & grauiora destinans, & conferens curas, & cogitationes tuas. Præter quàm quòd operam cùm versibus dares, eos interdùm maluisti, quàm Italicos, Latinos facere. In quibus tantum te cum paucis excellere significatum mihi est, vt sæculi instar singula monumenta futura sint, cùm istos videam. Ea re cùm FLAVIVS QVERENGHVS tuus, præclarum illud Patauinæ Academiæ lumen, & Gratiarum ocellus, in ipsa epistola, qua magno heroi, RANVTIO FARNESIO, Parmensium Duci, Hetrusca tua poemata dicatum it, ea omnia, quæ tu latinis coniuncta numeris elucubrasti, sub prælo Germani Typographi esse iam profitearur, non potui non vehementissimè SALVIANVM meum per litteras rogare, vt eorum mihi exemplum, quàm fieri citiùs, potest, curare velit. Tu interim fac valeas, Ticino.

HIERONYMVS BOSSIVS

CÆSARI VBERTO

Humaniorum Litterarum DOCTORI,

S. P. D. Epist. 41. Taurinum.

CVm hesterno die animi causa, quod sæpè facio, ad S. Lafranchi solus proficiscerer extra vrbem, forte fortuna obuius factus sun

BAR-

BARTHOLOMÆO tuo, qui se mihi postea comitem in via præbuit. Is post longam de re litteraria disputationem, cœpit nonnulla de suo statu recensere. Atque illud in primis dolebat, quod à suis omnibus, qui isthic viuunt Taurini, & à te præcipuè, sit omninò destitutus. Abierunt namq; anni, ex quo nec à te, nec de te à quopiam litteras accepit: ex quo vestrum neminem vidit. Vnde fit, vt mallet, quod inquit Iuuenalis,

---- fraterculus esse gigantum;

quàm consanguineos, & affines habere, qui non magis sint memores sui, quàm Caluisius ille Sabinus apud Senecam Achillis, & Priami, quorum nomina sæpissimè obliuiscebatur. Ego tamen, mi CÆSAR, à te vno dicebam, & homini persuadere totis viribus conabar, quòd si minùs venires, aut scriberes, id non fiebat, vel quia immutatus animus, vel quia amor tuus erga istum esset imminutus, sed quia te tui muneris impedirent occupationes. Quam excusationem tantùm abest, vt acceperit, vt ne quidem audire voluerit. Atque vt omnia tibi pro ea, qua te semper complexus sum, beneuolentia verissimè narrem, quã tùm ex eiusdem sermonibus colligere, ac subodorari potui, nouas nuptias hàc vna de causa cogitat, quòd suorum nemo præsens adsit, quem habeat secundis rebus lætitiæ socium: à quo solatium pariter aduersis reportet: quem consiliorum participem faciat, & in cuius denique sinum cogitata effundat animi sui. Homini certè, qui in suis est nummis, *neque sine censu, hoc vnum deest, præterea nihil. Ne itaq; tua culpa poscit dicere cum de mea Terentiano:*

Duxi Vxorem: quam ibi miseriam vidi?

rogò te, vt, statim acceptis hisce litterulis meis, ad hominem scribas: huc te ostendas profecturum; atque etiam, si vacat, re ipsa proficiscaris. Secus autem per proximum tabellarium eodem exemplo epistolam mittes, vt eum spe tui aduentus producere, ac lactare possimus donec, Hilaribus exeuntibus, quæ instant, & nuptijs dicta sunt, Cineralia *veniant. Quo tempore inter nos per litteras de re ista colloquemur, & id consilij capiemus, quòd hominis statui maximè, ac rationibus tuis conducere*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

iudicabimus. Quamquam illud modis omnibus prouidendum eße puto, vt ne committas eum, spe omni procreationis desperata, vxorem ducere: Qui cùm sexagenarius sit, nuptias libitina *potiùs* pronuba, *quàm* Iunone *conficeret. Atqui vereor ne ita* Pertunda *hominem, habeat vt*

Ne thalamo tædisque iugalibus
Inuida mors rapiat
Ne mutetque thorum feretri vice
Exequialis honor.

Tu nosti muliercularũ ingenia, nosti salaces mores, nosti illecebras. Quæ si adolescentibus, ipsæ cùm sint præcipuè iuuenes, in bona ætate, ac valetudine sanguinem, succum, ac medullas ipsas exhauriunt, quid senibus eiuscemodi faciant hirudines istæ Venereæ, tua sit, mi VBERTE, cogitatio. Verissimum quidem illud Theophili Comici dictum est.

Non quadrat iuuenis seni fœmina.

Præterquam quod hoc ego certissimè scio, tenuioris fortunæ patres nulli faciliùs, libentiùsue indotatas filias obtrudere, quàm sponsis hisce Depontanis, *à quibus aut isti in partem hæreditatis vocentur, aut bonorum vsus fructus legetur filiabus suis, vsque dum alteri viro nubant: hoc est vsque dum sibi dotem iure iniuriaue illinc abraserint. Quod si fieret in rebus BARTHOLAMÆI nostri, nulli æquè detrimento eßet, ac tibi, fratribusq; tuis. Sed hæc alias & coram fortasse commodiùs. Tu interim fac valeas, & IVLIVM MAYNVM, pictorem sua virtute nobilissimum, a me etiam atque etiam saluere iube. Ticino Regio.*

HIERONYMVS BOSSIVS
ROBERTO TITIO
Artis Oratoriæ *INTERPRETI,*
S. P. D. *Epist.* 43. *Bononiam.*

D*Octissimas tuas ad Georgica Virgilij Prælectiones* IIII, *doctissime TITI, hodie accepimus: hodie legimus; nec carptim aut perfunctoriè, sed auidè quidem, ac diligenter. Non nihil enim*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

me solito inuenerunt ab occupationibus meis ociosiorem. Quamquam ego, cùm tuæ aliquid scriptionis perfertur, vel si ampliter sim occupatus, ad eas animum, & oculos adijcio statim percurrendas. Porrò autem tanta me sæpè, ac sæpiùs in tuis lectitandis voluptas cepit, vt, quemadmodum gustus emptorem vocat; *ità me solum ROBERTI nomen adscriptum singulari quodam illicio lectorem ad omnia inuitet. Quod quidem si qua mente, quoue consilio in præsentia dicatur, intelligis; vti profectò intelligis, tu crebrò in posterum eiuscemodi munerum genere ornabis simul, & oblectabis. Vale.*

HIERONYMVS BOSSIVS

IVLIO NEGRONIO

Oratori, & Theologo è societate IESV,

S. *P. D. Epist.* 42. *Genuam.*

L*Egimus, & perlegimus,* NIGRONI *doctissime, orationes tuas maxima certè cum animi voluptate, sed longè tamen maiore cum fructu & animi, & ingenij.* Nulla *enim ferè periodus, ac ne quidem clausula in illis est, quæ legentibus verborum delectu linguam non expoliat, & acuat: pectus verò sententiarum grauitate non ornet, & instituat. Itaque poteram legenti mihi verè de tuis scriptis accinere, quod tu olim ex* Petronio *Arbitro transtulisti ad eloquentiæ, & philosophiæ commendationem:*

His animum succinge bonis, sic flumine largo
Plenus Pierio diffundes pectore verba.

Quod si de numero, & artificio, cùm vtrunque planè oratorium sit, aliquid hoc loco dicendum est: illud asseuerare non dubitabo, quod aures mirificè altero demulceas, ac delectes: quodque altero, in quamlibet partem velis, affectus moueas etiam atque etiam vehementer. Nec *valde certè, dum in illis essem totus peruolutandis, MAFFÆVM, PERPINIANVM, & BENCIVM, tria splendidissima so*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

pietatis vestræ lumina desiderabam. Atque adeò, si tua me patitur modestia vera dicere, vt olim oratorum, qui causas in foro dicebant, princeps habebatur Cicero: sic eorum, qui in Christianis versantur Academijs, tu mihi Tullius alter videris. Quippe vnus præcipuè, mi NEGRONI, *præter cæteros Genuenses, facis vt Cassiodorus, cum dixit:* mittet & Liguria Tullios suos, *diuinarit. Volumen enim orationum tuarum est eiuscemodi, vt* istud

... sæcula posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis

Hoc ipsum certò scio Ticinenses mei omnes, qui tua desiderant, mecum affirmarent, si Piccaleus exemplaria orationum tuarum ad Sosios nostros transmitteret. Qui cùm à quopiam de illis quæruntur, NEGRONII *orationes se quidem excusas vidiße fatentur, sed vllas negant isthinc accepisse: nec sua magis, quàm typographi istius negligentia. Nunc autem ab ipso Piccaleo nullum hi petunt volumen tuum, quòd nescio quid subaudiuerint de libro tertiùm recudendo, á te facta non earum solum orationum, quæ typis excusæ leguntur, noua distributione; sed cæterarum etiam, quas habes manu scriptas elegantißimè, nobili admodum additione. Quæ res cùm Bibliopolas primùm, deinde harum etiam rerum studiosos spe cum locupletioris, tum emendatioris impreßionis ad emendum lentulos reddat, author tibi libenter essem, vt id publicæ causa vtilitatis aliquantò citiùs, quàm tibi faciendum persuasisti maturare velis. Quamquam,* NEGRONI DS. *nihil est cur diutiùs moreris, cùm omne, quod à te proficiscitur, nullam habere possit acerbitatem. Vale* Ticino *Regio.*

HIERONYMVS BOSSIVS

AVGVSTINO GVASCO,

V. A. Philologo, & Academico AFFIDATO,
S. P. D. *Epist.* 44. *Ticinum.*

Præses Apollo carminum fluentium
olim fortasse, mi GVASCE *optime, suauissime, dignatus est*

inter

.... inter amabiles
Vatum ponere me choros;

nunc verò non minùs, quàm profanum vulgus arcet

.... vmbrosis Heliconis oris.

In quo tamen non eum culpo, aut incuso, sed me ipse accuso, qui ad alia sic studia meum studium contulerim, vt Musarum delicias, & oblectationes omnes susque deque habere viderer omninò. Nec mehercule gratis, aut sine fundo: *quandoquidem, vt cum Eupolide dicam,*

Si quis nostratium,
Agrediatur poesin desipere iudicatur,

Itaque cùm præter propter *carmina possim scribere, siquid scribo tamen, alia tibi quercus est excutienda, vt habeas epigrammata quæ de cõmuni amico confici volebas, nec ipse tua, ac mea ẽt causã, nolebã. Et quidem me etiam atque etiam piget, ac tædet, quòd nunc, potissimùm te rogante, nequeam versus conscribere*

.... Musarum, & Apollinis expers.
Frange fores, *inquis?* pœnas iuditij me tuo.

Vale Mediolano. Raptim ex ipso Senatus *Grammatophilacio: XIV. Kalendas Octobreis.*

HIERONYMVS BOSSIVS

SCIPIONI BARGALIO

V.C. Equiti, & *PHILOLOGO*,

S. P. D. *Epist. 45.* *Senas.*

A*T* *e mihi PETRVCCIVS* Theologus, *& Orator Dominicanus, cui litteras per proximum tabellariũ dedisti elegantissimè scriptas, officiose adeò, & amanter salutem dixit, vt omnem facilè ægretudinem, qua tuarum me affecerat diuturna nimis expectatio,*

ſedare, ſi minùs leuare potuerit; Sed hoc tamen mei ſalutandi genus, vt familiare tibi faceres nullo modo vellem, qui in tuis epiſtolis, vt manum agnoſcere, ita animum tuum exoſculari ſolitus ſum. Quod ſi verbula tua omnibus, vt inquit Lucretius,

.. incutiunt blandum per pectora amorem;

in me certè litteræ tuæ, mihi crede, tantum amoris illius, quo te complector, æſtum commouent, vt totus abſorbear. In ipſo tamen æſtu dego inſtar Salamandræ cum voluptate: & vt ait ille Academicus, vror sic vri. *Itaque, mi Bargali, quid ſis impoſterum facturus, ſi ſapis, quantum profectò ſapis, iam intellexiſti. Scribes tu quidem non ad alios de me, ſed ad me potiùs de alijs; nec aliena, ſed tua manu. Interim vale benè, vt valeam.* Ticino *Regio.*

HIERONYMVS BOSSIVS

M. ANTONIO BONCIARIO

V. C. & politiorum litterarum DOCTORI,

S. P. D. *Epiſt. 46. Peruſiam Auguſtã.*

N*On ignoro quod* CL. SACCVS, *ac alij quàm plurimi doctrinæ tuæ intelligentes æſtimatores, de eo, quod litteras nonnumquam malis Italicas, quàm latinas dare ad te ſcripſerint. Ea re cùm epiſtolam ad me vernaculis Peruſinorum verbis confectam miſeris, nihil tecum expoſtulabo, ne id futurum videar mihi perſuadere, vt plus ego impetrem, qui homo ſum in* Repub. *litteraria poſtremi ordinis, quàm illi, qui faſces tenent, & ſecures, conſequi potuerint. Illud tamen ſi minùs apud te, mecum certè dolebo, quod omnem ſic immortalitatis ſpem infringas, ac præcidas mihi, qui nomini meo in tuis libris vitam pollicebar ſempiternam. Quanquam ſi tibi aliquando in animum induxeris, vt quæ Hetruſca lingua elucubraſti, in vulgus velis emittere, in hoc ipſo, quòd nunc dolendum, puto ſingulare tuum agnoſcerem beneficium. Nam cùm latinè loquentium epiſtolarum,*

quas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

quas ad sexcentos misisti, volumina edideris benè magna, hoc ego cũ paucis, & ijs fortasse, qui à te amantur, ornanturq; plus cæteris, commune haberem, vt legerer in tuis litteris, & latinis quas olim accepi, & Italicis, quas modò non vulgares dedisti, cùm non vulgari testificatione amoris erga me tui. Sed hæc hactenus de ratione scribendi. Nunc ad id venio, quòd meum librum ad te scribis tandem aliquando peruenisse. Ex eo, mi BONCIARI *suauissime, fac quæras obsecro, num sit ex itinere defatigatus, qui vix ipso anno tantillum terrarum spatium emensus fuerit. Non enim in ijs regionibus Perusia est, vbi Antipodes aduersis vestigijs stant contra nostra vestigia. Atqui litteras tuas Alexio, qui Goæ apud Indos degebat, serius redditas fuisse non existimo. Sed omnem, quàm ex eius tarditate traxi, molestiam tu facilè dilues, si per litteras significaueris, quid de eo tibi videatur. Antequam scribas tamen adnota, quæ minus latinè, minusq; decorè, nec suo loco dicta fuisse putaueris. Ità enim, quòd ad Voconium inquit Plinius,* magis credam cætera tibi placere, si quædam displicuisse cognouero. *Vale Mediolano raptim, & statim post tuas acceptas.*

HIERONYMVS BOSSIVS

LVDOVICO MADIO

Regio Mediolani SENATORI,

S. P. D. *Epist.* 47. Mediolanum.

N*ihil dubium est, quin in populi, & ciuium is peccet commoda, qui vos Ampliss. Patres,* Rempublicam, *vt Varro inquit,* aurigantes, *rebus animum à Curiæ cura vel tantillum auocantibus interpellat. Ego quidem hanc vnam ob causam dubius animi per multos dies fui, an litterulis te meis appellarem, cum eis ad te librum daturus. Sed tandem prudentiam illam tuam, qua fori tædium, atq; ipsius Curiæ senium temperare solitus es, mente nonnihil reputans,*

spem mihi feci futurum, vt hæc tibi siue libri, siue litterarum missio nec omninò iniucunda, & aliquantùm fortasse accidat opportuna. Etenim in eorum te numero censeo, qui sint cum Scipione Africano numquam minùs ociosi, quàm cùm ociosi. *Si modò igitur nostra sunt digna, quæ à te oculis aliquando vsurpentur; habebis, quod horis legas subcessiuis; in quo ipsa erit opportunitas; habebis etiam, quod vir Laticlauius de Laticlaui dignitate regustes perlegendo: in quo iucunditas. Hæc autem vt diuturna tibi sit, ad ætatem Nestoris te volo perennare. Ita optimus ille, & maximus*

----- Votum secundet, qui potest, nostrum Deus.

Tu verò me fac quæso adscribas in tuis: hoc quidem vt calidissimè cupiam, mea facit erga te obseruantia. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS
SCIPIONI BVRGHESIO,
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ CARDINALI,

S. *P. D.* *Epist.* 48. *Romam.*

N*Ouas iterum gratias, Cardinalis Ampliss agere tibi debeo, qui benignè adeò, & honorificè ad nos rescribis: qui prolixè nouo etiam ornas beneficio. Etenim dum admittis officium meum, quod pro actione gratiarum sum exequutus, te tua authoritate ad mea commoda paratissimum offers simul, ac polliceris. Cui autem quæso te? nihil tale petenti, nihil merenti. Sed hæc Hæroum tui similium natura est, hoc ingenium, vt quos semel in fidem ipsi receperint suam, eosdem velint tueri, & ornare constantissimè. Quamobrem ego, qui nihil tibi pro tanta humanitate redhostire possum, me totum in ære tuo esse* libens merito *dicam: ex corde, & animo gaudeam. Atqui ego cum* Aristotele *sentio, & illud censeo verissimum, quòd* qui beneficium inuenit, compedes inuenit. *Cùm præsertim*

non

non opis nostræ sit, Vt Menandrica gratiarum actio, *à nobis agatur, quæ ipsa* est gratiæ remuneratio. *Id quod tu fortasse hostimenti loco reputabis, cum apud Principes VV. is omninò, vt ait Seneca,* magnam debiti partem exoluit, qui lubens se debere profitetur.

HIERONYMVS BOSSIVS

LÆLIO BISCIOLÆ.

Philologo, & Theologo è Societate IESV,

S. *P. D.* *Epist.* 49. Nouum-Comum.

Q*Vod Plautinus ille Pyrgopolynices suam ipsius formam admirans, quàm pars est gloriosiùs exclamat:*

Nimia est miseria PVLCHRVM esse hominem nimis;

id ego à te arbitror, mutata vocula, de tua eruditione posse verissimè dici;

Nimia est miseria DOCTVM esse hominem nimis.

Nec quidem Plautina aliqua Philocomasium, sed Philologi *omnes, & Philomusi homines, cùm de re aliqua litteraria dubitatio est, te doctissimum* Virum *adeò frequenter consulunt,*

Vt tuo non liceat dare operam negocio.

Cùm igitur meum in hoc genere exemplum non sit tuis occupationibus intercedere, de re sententiam tuam exquirere non verebor, quæ mihi res de Sponsalibus, & Nuptijs opus conscribenti, negotium facit, quàm maximum. Porrò Festus lib. de verborum significatione ait: Facem in nuptijs in honorem CERERIS præferebant, aquaque spargebatur noua nupta;

siue

siue vt casta, puraque ad virum veniret; siue vt ignem, atque aquam cum viro communicaret. *Ego autem ab Agricolis inuocari solitam cum* BACCHO CEREREM *sæpissimè legi*, quòd horum fructus, *vt cum Varrone dicam*, sint maximè necessarij ad victum: ab his enim CIBVS, & POTIO venit è fundo. *Nonnumquam etiam scriptum inueni, quòd eidem* CERERI *cum* TELLVRE, *veluti operum consortibus, preces ab antiquis conciperentur, vt vellent, quod inquit* Sulmonensis *poeta*,

Fructibus immensis auidos satiare colonos.

Quid autem iuris, quid numinis in Nuptias Ceres haberet, mihi profectò non liquet. *Id odorans licet, quasi venaticus volpem, per non ita pauca Antiquitatis cubilia sim persecutus. Quamquam hoc ipsum inexplicatum relinquere omninò erubescerē, cùm vel leuissima, & notissima quæque ad sponsalia, & Nuptias pertinentia, sim in opere complexus meo. Etenim, vt verbis vtar* M. *Tullij*, ridiculum est, quod est dubium id relinquere incertum: quod nemini dubium esse potest, iudicare. *Nec verò imitari Lucretianum volo Commentoriographum, qui totus in eo est, vt ex* iamina gemina m Cererem *faciat; cur autem* mammosa *eadem* Ceres *vocetur, ne gry quidem dicit. Duplicem itaque nodum tibi* Reipub. *litterariæ nouo Alexandro dißoluendum pono: Quare scilicet in nuptijs fax in honorem Cereris præferatur, & ab inanis philosophiæ poeta ipsamet Ceres mammosa nominetur. Illud autem tibi omninò persuadebis, me longè veriora existimaturum, quæ tu de hisce quæstionibus rescripseris, quàm quæ Delphicus profert* Apollo. *Vale. Ticino Regio.*

HIERONYMVS BOSSIVS

PAPYRIO CATTANEO

Regio Mediolani SENATORI,

S. *P.* D. *Epist.* 50.: *Mediolanum.*

M*Vnus ad te mitto, ac præmitto potiùs, mox secuturus, vt me tibi sistam, ac tu vicissim de me ipso dicas:* hic meus est *Hoc au-*

tem quam validè, quàm calidè cupiam, indices tu quidem habes iam dudum litteras, nostrate lingua loquentes, testem verò pro sexcentis vnum, pro millibus, SFORTIAM ALEMANIVM tuum. Optime enim optimus iste virorum nouit, quantùm amem te, ac admirer quia inter I.C. sis litteratissimus: quantùm simul obseruem, ac venerer, quia Senator sis inter litteratos amplissimus, inter vtrosq; humanissimus. Quamobrem nisi me fallet, vt certè non fallet, spes illa quam mihi à tua ipsius benignitatè non indubitatam facio tu munus hoc meum pansis manibus accipies, me verò etiam recipies in tuis. Vale. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

HIERONYMO XAVERIO

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ CARDINALI,

S. P. D. Epist. 51. *Madritum.*

VEnturus in Hispanias ALONSVS CYSNERIVS meus voluit à me tibi, Cardinalis Amplissime, commendari. Nec iste quidem me habuit ad sua vota difficilem, qui non ignoro, quæ tua in primis sit facilitas, benignitasque. CYSNERII autem ingenium, ac probitas, quæ hominem facilè tibi ostendent tua esse dignissimum clientela, omninò faciunt, vt parciùs tecum agam ad commendationem. Hoc tantùm igitur liberè profitear, quòd quacunque in re isti præsto fueris authoritate tua, me arctiùs tibi, quàm mancipio, & nexu, quàm ære, & libra, sis deuincturus: modò tamen plus, quàm debeam, debere tibi, & obligari possim. Cæterùm quid illud sit, ad quod tuo cupiat in Aula Regia patrocinio vti, nihil adscribo. Id malo enim ex ipso plenius, quàm ex me, litterisque meis, intelligas. Vale. Ticino Regio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIERONYMVS BOSSIVS

LVDOVICO SEPTALIO.

V.C. Archiatro, ac PHILOLOGO,

S. P. D. *Epist. 52.* *Mediolanum.*

VErus sum: nec id, quod re ipsa est, negare volo: Plautinos sales amaui semper, ex quo

..... Pieriæ tenero sub pectore curæ

..... Discendique vires, & amor,

esse mihi cœpit adolescenti. Nec verò vmquam in me Plauti libido ista deferbuit; cum ipsa potiùs ætate quotidie magis creuit. Itaq; in vno præcipuè Plauto perlegendo meæ sunt omnes deliciæ. Quæ profectò mihi nunc accidunt eò iucundiores, quòd occasionē afferant te litteris compellandi. Non vsque adeò enim Quinquatribus Mineruæ *sunt ipsius Plauti actores interdicti, vt non aliquando philosophentur. Euclionis certè in* Aulularia *hæc sunt verba senis:*

Non temerè est quod coruos cantat mihi nunc ab
leua manu,
Simul radebat pedibus terram, & voce crocibat sua,
Continuò meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare,

Quæ verba D. *Lambinus meo iudicio veriùs interpretatur,* cor trepidare, *quòd cor saliat ob metum; quàm A. Turnebus exponat* cor gestire, *quod fit ob lætitiam. Quamquam & hoc Lambinus alibi ingeniosè dixisset, cùm tam ob lætitiam, & spem, quàm ob timorem, & desperationem cor palpitare animaduertatur. Verum ego in neutrius explicatione acquiesco, & Physicam huiusce effecti causam indagare cupio. Quod cùm à me ipso non audeam iuxta, ac nequeam facere, te eximium nostro sæculo indagatorem, ac venatorem naturæ mihi in subsidium, ac potiùs in præsidium aduoco. Atqui du-*

ctu

ctu, & auspicio tuo, *ad id agredior explicandum.* Cor igitur existimo palpitare, *siue ut Lambinus ait* trepidare, *siue ut Turnebus* gestire: *siue denique ut Plautinus ipse Euclio*, artem ludicram facere *motus cuiusdam causa per animi* Pathemata *concitati. Etenim unus de cæteris animantibus homo metu, ac spe rei futuræ mouetur: atq; ut Peripateticorum* Princeps *statuit, in ipso corde fons est, ac principium mouendi. Nemini autem dubium est, quin animi affectus per quarumdam partium corporis affectiones, quasi per indices, manifestentur. Ego quidem D. E. R. I. C. Sed hæc tamen, cùm à Philosophis petita videantur, atque ipse in Philologorum castris tantùm verser, ac meream, nec rata, nec firma esse volo, si minùs te assertorem habuero huius sententiæ meæ. Vale Æsculapi ætatis nostræ. Ticino Regio.*

HIERONYMVS BOSSIVS

LVDOVICO ACERBO.

Regio Mediolani SENATORI,

S. *P.* D. *Epist. 53. Mediolanum.*

O*Bseruantiam erga te meam singularem, quam declarare nullo modo possum, significare quidem abhinc annos quàmplurimos, & in dies magis, ac magis cupio. Sed nullam* Ostenda *mihi opportunitatem, qua id commodè facerem, ante hunc diem* ostendit. *Quæ tamen cùm nunc temporis ab ipso mihi Phœbo, & Musis oblata sit, hanc ipse ut libens amplector, ita auidissimè arripio.* Scripsi igitur *de Latoclauo opusculum, & quæ fuerit Romani Senatus Maiestas, ac dignitas in isto explicaui: cum Romano SENATVM etiam contuli MEDIOLANENSEM, vtraque illi certè, si quid ego iudico, supparem.* Te verò *cum cæteris Patribus in Amplissimo isto ordine Conscriptis nominaui & honoris ergò, & obseruantiæ Itaque omninò inconsultè, & imprudenter factum arbitrarer, si quod publicè in*

publicum emisso libro, omnes iam norunt, id ego paterer, vt vnus ipse ignorares, qui omnium primus, aut quidem certè cum primis istud ipsum scire debueras. Nunc profectò, Senator Amplissime, opusculum ad te do Laticlauium, vt æquè perpetuum, ac sincerum habeas eius monumentum voluntatis, quā defero tibi ex bono, & interiore animo studiossimam tui. Vale. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

FEDERICO BORROMÆO.

Mediolanensium Archiep. & S.R.E. CARDINALI,

S. P. D. Epist. 54. *Aronam.*

N*Vlla fortasse in homines frequentiùs peccant, quàm in muneribus deferendis: Cuius erroris causam hanc esse puto, quòd ferè remo, vt nunc temerè, & inconsulte viuitur,*

Reddere personæ scit conuenientia cuique;

Quis enim vel tantillùm consideratus litterato viro Martis *frameam, aut contra militi, & bellatori Lyram daret* Apollinis*? Ego quidem licet in omni re alia parum iudicio valeam, in hoc tamen genere, præfiscini dixerim, & antea valde semper, & nunc quàm maximè, illud studeo, vt ne munus afferam alicui, sine delectu; vt ne inquam mihi ipsi eam gratiam, quam donando quæro, imprudens extinguam, aut quidem certè debilitem. Ex quo factum,* Cardinalis *amplissime, vt qui nihil habeo te dignum Principe litteratissimo, non ego ad te audeam de meo quicquam transmittere. Cùm igitur IVLIVS* CÆSAR MADIVS, *V. in iure, ac legibus haud parum versatus, actui maximi nominis magnus cultor, opusculum de Sacris Ordinibus, doctum sanè, & eruditum, ediderit ad te dono mittendum putaui, vt te alienis munerer, qui meis non possum. Qua in sententia illud me singulariter, nec mediocriter confirmauit, quòd is quarto quoque versu ad suas assertiones confirmandas authoritatem suscipiat*

CL. I.C. Marij Antonini tui. In cuius ego laudes non ibo, cùm nec sit hic locus, nec tu ignores, quàm præclaré prudentia sua, & multarum rerum scientia Vicariam tibi operam nauet in Archiepiscopij administratione. Quia verò, vt ad rem redeam, istud ipsum, quo te muneror, de re sacra est, non te rogabo virum è Sacro Purpuratorum ordine cum paucis eximium, vt librum vel excipias libenter, vèl diligenter legas. Cùm præcipuè ea tua sit humanitas, nihil vt respuat, quod ab animo tibi dedito, proficiscatur: ea doctrina, vt ad nullam rem aliam, quàm ad legendum, tua sponté feraris ardentiùs. Vale Princeps amplissime, vale litterarum, & litteratorum in Italia Mæcenas. Hæc scripsi in Musæo ad S. Caroli imaginem, quæ inter cæteras indigetum, ac VV. illustrium tabulas, sic à me posita est, vt totus iste locùs illustrari non nisi ab vno Carolo videatur. Ticino,

---

HIERONYMVS BOSSIVS

ALEXANDRO GRASSO,

Regio Ordinariorum Redituum QVÆSTORI,

S. P. D. Epist. 55. *Mediolanum.*

VIx credas, optime, ac præstantissime GRASSE, quàm ægrè tulerit BARTHOLOMÆVS PISONVS, Astreæ, ac Themidis delicium, quod priùs de tuo discessu, quàm de aduentu ad hanc vrbem nostram, monitus fuerit. Mirificè enim te ille discupiebat adire, te salutare. Apud quem in foro commodùm eram, cum amplissimus Senator LEYZALDVS ex suburbana villula in vrbem rediјt. Cui quidem de rheda desilienti opera dedita, ac studio adfui, vt quanta cum humanitate, ac quanto eundem etiam visendi cum desiderio, ad prætorium veneras significarem. Itaque salutationem tuam illam, vt cum Iureconsultis loquar, fiduciariam, quam apud me quodam modo deposueras, homini Bona fide reddidi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

ac officiosissimè. Quam profectò salutationem, vt hilari, ac periucunda fronte excepit, ita in hisce litteris à me tibi redditam cupit suo nomine cum vsura, & anatocismo. Quo in genere nolui operam meam vel tantillum desiderari, Eaque re diligentiæ laudem non elegantia scriptionis, sed ipsa officij celeritate secutus omninò sum. Etenim statim post salutatum ipsum Senatorem hæc ad te currenti calamo exaraui. Tu vale, & viue maximæ illi Laticlauiæ dignitati, quam tibi deferendam vt auguror, ita voueo. Ticino.

HIERONYMVS BOSSIVS

HIERONYMO PRÆTO,

Boncniensi Poetæ, & IVRISCONSVLTO,

S. P. D. *Epist. 56.* *Romam.*

NOn sum nescius officiorum, quæ tu, præstantissime PRÆTE, istic Romæ executus es. De omnibus namque erudiuit me ad vnguem per litteras GASPAR SALVIANVS meus; Qui quidem non ea magis scripsit, quæ fecisti, quàm te ipsum studio omni, & auctoritate prensantem descripsit. Itaque si antea plurimum non te dilexissem virtute tua, addo etiam amicitia MASSINII mei hoc vnum me facilè impelleret, vt te cum, paucis medullitùs amarem. Tantas certè gratias me tibi debere profiteor, vt planè ingratijs omnibus viuere mihi viderer, si minùs eas volontate, & animo haberem, quas referre nullo modo poßum; agere autem vix poßum Tu fac valeas. Raptim Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

TRVSSO TRVSSIO,

Regio Mediolani SENATORI,

S. P. D. *Epist. 57.* *Mediolani.*

NOn me fugit, Senator Amplißime, quàm ingenuo, & liberali otio interualla negotiorum dispungas Historias scilicet

legis,

legis, nec scripta negligis Philosophica, ac Philologa in primis lectione delectaris. Ex his autem non minus, quàm ex iuris, & legum studio Prudentiam illam Senatoriam, qua egregiè adeò ab omni sontium vi, ac dolo,

------ tabulas peccare vetantes,

Quas bis quinque viri sanxerunt,

tueri ipse, ac sartas tectas reddere solitus es. Quoniam verò Quiritum virtus, duce præcipuè gloria annorum matre, omnium gentium famam, ac facta superauit, hoc vno te tua otia arbitror oblectare, vt

Ignota æternæ ne sint tibi tempora Romæ.

Quod cum verissimum mihi persuadeam, nihil certè oportunius à me tibi in signum obseruantiæ erga te meæ deferri potest, quàm hoc ipsum, quod cum hisce coniunctum litteris accipies, de Latoclauo opusculum meum. In quo lectitando non solùm quæ, & quanta fuerint Romani Senatus decora, & ornamenta recognosces, de ijs optimè historiarum lectione edoctus, sed quàm ad vnguem etiam vos amplissimi Mediolani Senatores, illius imaginem refertis, facillimè agnosces. Interim vale.

HIERONYMVS BOSSIVS

OCTAVIANO PICENARDO.

I. C. Equiti, Comiti, & Primario ANTECESSORI,

S. P. D. Epist. 58. Ticini.

GRauiter quidem, sed animo tamen amico V. amicissimus, COSMVS ZERBIVS, percussit me, verius dicam ipse mihi ad hominis verba fæmur percussi, & frontem ferij: Etenim significauit te nullas adhuc de Latoclauo obseruationes meas accepisse Quid hoc est? illas certè ad te ego misi abhinc mensem, sed mastigia, vt video, non reddidit, cui dedi. Ne huius igitur culpa in me, mea nulla

culpa

culpa transferatur, amissis ijs prioribus, exemplum ad te alterum mitto cum hac coniunctum epistola. Quam quidem non veritus sum tumultuarijs verbis exarare, vt in ipso Styli contemptu, meam facilè agnoscas contra istum trifurem, vt cum Plauto dicam, verberabilissimum indignationem: Qui quidem, cum meas litteras passus sit perire, dignus est vt in pœnam siue culpæ, siue negligentiæ, litteram vnam ex se longam faciat. Tu interim fac valeas, & me in primis redames ex corde amantem, ac æternùm, & perpetuó amaturum. Raptim ex ædibus.

HIERONYMVS BOSSIVS

FABRITIO LANDRIANO,

Ticinensium EPISCOPO,

S. P. D. Epist. 59. Romam.

Eiusmodi quidem est, vir Amplissime FABRICI LANDRIANE, Episcopi Ticinensis Sacerdotium, vt cum ipsis facilè possit Archiepiscopis conferri. Etenim siue Pallij vsus, & dignitas; siue merum, ac mistum in suos imperium, attendamus; par ornamentum, nec dissimilem, vt legum vox est, iurisdictionem, esse omninò videmus. Quòd si Episcopos isti ad sua iussa non nunquam capessenda cogere suo iure possunt; nostræ quoque vrbis Pontifici tanta est Diœcesis amplitudo, vt in Conciliorum consessibus eam habeat Sacrorum Præsulum coronam, qua potiùs quidem re ipsa Archiepiscopus esse, quàm huius tantùm speciem occupare, videatur. Quamobrem Ciues mei Ticinenses toto isto inter-pontificij tempore sunt Deùm venerati, vt huius Ecclesiæ administrationem vellet demandari non nisi sapientissimo, & optimo Viro, qui nullius cuiusquam censuræ obnoxius, famam simul, & conscientiam sua sponte vereretur: quiq; abstinendo vitijs, vt Infulatum Principem decet, ad virtutem, hoc est ad proprium hominis bonum, exemplis

alios

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

alios inuitaret, & verbis adhortaretur: ac imperio etiam, ipse ab omni culpa vacuus, sine reprehensione coerceret. *Id autem sui* ex animi sententia *sibi datum intellexerunt, cùm te nostræ vrbis Episcopum renuntiatum fuisse, ad nos Roma nuncius allatus est.* Ea *enim te omnia ex amussim optimè facturum, nemo est ad vnum, qui sibi ipse non polliceatur. Præsertim cùm animo, & cogitatione hoc reputet, quòd Maximo Pontificum, PAVLO V. ac Illustrissimo in primis* Cardinali *BVRGHESIO, multis antea, magnisq; in rebus, te sic probaueris, vt ab ijs tantæ vir integritatis, prudentiæ, ac doctrinæ; fueris iudicatus, qui Episcopi, sanè grauem in hac Ciuitate, personam sustinere possis.* Atqui, *vt ait Cassiodorus,* non est maius meritũ, quàm gratiam inuenisse regnantium. Nam quibus fas est, de cunctis optimos quærere, videntur semper meritos elegisse. *Itaq; audito nuncio tibi delati Episcopatus, Ciues omnes, quotquot* Feliciter *cupiunt* Reipublicæ Ticinensi, *summis lætitijs incesserunt. Sed tunc præcipuè adclamarunt illud ipsum,*

populus quod clamat Osyri

Inuento,

cùm te audiuerunt constantis adeò esse hominem ætatis, vt ad multos annos sis, CVM *DEO BENEVOLENTE, perennaturus. Vt autem suas lætitias, suaque gaudia in hoc, quod Plautus inquit,* sine radio *cumulata declarent, iam* Flammas *cogitant* Auspicales, & *Arcus in* Triumphi *modum adornatos, meditantur. Ego tamen,* Am*plissime LANDRIANE, moræ omnis impatiens, dum ea nomine ciuium omnium parantur, singulariter istam per litteras tibi tuam gratulor dignitatem. Qua profectò,* Sancum fidium *testor, & priuatim lætatus sum, quia Antistites tui similes, qui pauci admodum sunt, cum paucis obseruo; & publicè etiam gestij, quia communibus patriæ bonis iuxtà perfruor, ac priuis meis. Vtraque certè caussa* Deum O. M. *obsecro verbis Plinij,* vt omnia, quæ facis, queque facies, prosperè cedant tibi, reipub. nobis: vel si breuiùs sit optandum, vt vni tibi: in quo respub & nos sumus. *Vale, V. A.* & *sic* Beniuolentiæ Tuæ Genio *me foue,* Clientem *tuum re-*

ligionis

ligionis caussa Fiduciarium, vt lubens merito ipse tibi me ipsum, ac mea omnia æternùm Dico, Æternùm Voueo. Ticino Regio, Pridie Idus Iunias.

HIERONYMVS BOSSIVS

HIERON. PARAVICINO.

Regio Mediolani SENATORI,

S. P. D. Epist. 60. Mediolanum.

VT tu in primis, Senator amplissime, intelligas, quàm fæliciter omnia CORNAZZANO ceßerint, hanc ad te mitto Panegyrim. Etenim suas de iure, ac legibus Quæstiones, quas Excellentissimo Senatui dedicauit, in alteram partem dicentibus propositis, cum maximo omnium plausu, & admiratione ipso triduò publicè dißoluit. Eaque re fuit omninò dignus, quem nostræ Academiæ Antecessores nullo facto, de more, priuatim periculo de eius doctrina, & eruditione, Iuris consultum renunciarent. Et quoniam tunc temporis comitiorum Aula patuit promiscuè omnibus, ad eam actionem ordines ferè omnes concurrerunt nostræ Ciuitatis. Nec verò in tanta frequentia defuerunt, qui homini Epinicion canerent. Vt ne tamen eiusmodi celebritas esset tantum temporaria; quæ multi plaudentes adclamarunt per Symbola, ego vnus collegi, ac in vnum etiam, vt vides, libellum coegi ad perpetuitatem. Vale. Senator amplissime, nostri sæculi delicium. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

POMPEIO CORNAZZANO.

Parmensium EPISCOPO,

S. P. D. Epist. 61. Mediolanum.

NAtura ipsa comparatum scio, amplissime Parmensium Pontifex, vt quos amemus, eorumdem quoque laudes & audiamus, & lega-

legamus cum voluptate. Quamobrem libellum istum, qui totus est de sūmæ spei optimo ingenio, ac iudicio adolescēte IO. ANGELO tuo, eò fidentiùs ad te mitto, quo certior sum de beneuolentia, qua fratris filium medullitùs complecteris. Nec ipsum verò argumentum non mihi persuasit, vt præsens præsenti tibi opusculum ego redderem potiùs, quàm per nuncios perferendum curarem. Tantùm certè disuaserunt, quæ me meam præter opinionem oppressere, multæ, ac magnæ occupationes. Itaque nunc ad te hasce litteras do meæ mentis interpretes, & meæ etiam præsentiæ quasi vicarias: id quod sanè facio vt minimè voluntarius, ita maximè inuitus. Etenim sperabam & meum studium in fratris filium, & erga te ipsum obseruantiam, me copiosiùs solo adspectu declaraturum, quàm vt sexcentis litteris benè longis significare possim. Tu fac valeas atque ad eos honores viue, qui tuis meritis debentur, qui à me tibi optantur, propediem deferendi. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

NICOLAO LEYZALDO,

Regio Mediolani SENATORI,

S. P. D. Epist. 53. Mediolanum.

Scandebat roseo medij fastigia cœli,
Luna Virgo, totis vbi somnus interior alis
Defluit in terras, mediumq; amplectitur orbem,

cùm in Ardizoniana delitescerem officina ad typos cum manu scripto recensendos. Parum certè abfuit, quin omninò desperarem me tibi posse absolutum opus in præscriptum diem curare. Quamobrem Edictorum, Rescriptorumq; exempla nihil exornata stylo; sed adhuc potiùs, vt vides, typographico humefacta atramento, ad te, Senator amplissime, nunc mitto. Porrò autem fuit ita faciendum, ne spetiem sequentes ipsa vsus priuaremur opportunitate. Quòd si spa-

tium ad expoliendum fuißet, ea profectò Sosiorum pumice mundari, vt maximè voluißem, ità curaßem diligentissimè. Tu cura vt valeas, & me, vt cœpisti amare perge. Quod vt facias, rogo te & per Musas ANTONII tui mei, et per genium ac salutem LAVRENTII pariter tui. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

DIDACO MILLIANO.

I.C., & Seguntino Primario ANTECESSORI,

S. P. D. Epist. 64. Ticini.

VEniant ad te, quæ promisi, Schediasmata mea: & tantùm certè veniant, quia promisi. Atqui refugiebat animus, ac renuebat ista mittere: adeò ingenium suspicit, & iudicium veretur tuum. Etenim ego optimè noui, quòd tam acriter, scienterque ab Eloquentia de Mansuetioribus Musis, quàm à Iuris prudentia de Seuerioribus studijs & censeas, & pronunties. Non poterunt autem meæ scriptiones, DIDACE præstantissime, non poterunt tantam ferre censuram. Sed vna tamen ratione tu facilè potes efficere, vt non me pœniteat pollicitationis, nec missionis meæ, si quæ Amici sunt, amicè legeris. Vale. LVDOVICVM VISMARIVM Iure consultum doctrina eximium eximiè salutatum cupio. Ex ædibus.

HIERONYMVS BOSSIVS

ALEXANDRO LODOVISIO,

Archiepiscopo Bononiensi, & S.R.E. CARDINALI,

S. P. D. Epist. 65. Mediolanum.

NIhil vnquam IO. ANGELO CORNAZZANO meo accidit iniucundius, quàm quòd, Cardinalis Amplissime, proximis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

ximis superioribus diebus Ticino absueris: nec mihi vicissim quicquam ingratius, quàm quòd ego non esse istic nunc poßem Mediolani. Etenim ille, qui triduo de legibus publicè disputauit, & iuris etiam consultus fuit renuntiatus, tuo in primis adspectu plurimùm suas illas actiones honestari discupiebat, ac simul, tua frctus humanitate, sperabat. Ipse autem quotidie magis, ac magis cupio togata saltim opera, quando nulla alia rè possum, me tibi gratum de eo officio præstare, quo paucis ab hinc mensibus per litteras mea causa apud Præsidem SQVARCIAFICVM perfunctus es. Quoniam tamen vtrique nostrum id quod maximè in votis erat, auersa Rhamnusia ereptum fuit; ille suarum Quæstionum exempla tibi dedit, & ego nunc Panegyrim ad eundem mitto, vt nosmet ipsos quoquo modo licet consolemur, si libés volens oblata acceperis, in absentia tua. Quæ quidem vix credas quantùm non me solùm, sed vniuersam Ticinensium etiã ciuitatem afficiat. Ita velis Italici belli Iano per te clauso, & pace feliciter constituta, prius, quàm ad tuos Bononienses reuertaris, meorum ciuium vultus, & pectora minimùm semel exhilarare conspectu tuo. Interim det tibi Deus quæ vis, quæq; mereris. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

IO. BAPTISTÆ TROTTO,

Regio Mediolani SENATORI,

S. P. D. Epist. 66. Mediolanum.

NOuit profectò Persica, quantis laboribus, sudoribusque, obseruationes hasce meas Nouas antiquas ad vmbilicum perduxerim. Sed me tamen satis amplum fecisse arbitror operæ prætium, quòd occasionem afferant tui litteris compellandi, ac mei etiam, qualiscumque sim, tibi eidem indicandi. Porrò cùm de Patrum CC. loquantur insigni, vnus præcipuè tuo iure istarum exemplum exposcere

scere videbaris, qui singulare ipsius Ordinis decus es, & ornamentum amplissimi. Hinc igitur ego, qui ad te dudum scripturio, argumentum epistolæ sumpsi contexendæ: veriùs dicam exarandæ. Quã quidem libens merito & opusculum donatum, & me ipsum tibi, sapientiss. Senator, dicatum venio. Tu fac valeas.

HIERONYMVS BOSSIVS

CAROLO MADRVTIO,

Tridentinorum Episcopo, & S. R. E. CARDINALI,

S. P. D. *Epist. 67. Tridentum.*

NOn me fugit, Cardinalis Amplissime, quæ tuorum sit meritorum cum magnitudo, tum multitudo. Non enim solùm inter præcipuos huius sæculi Heroas adscriberis, quà CARDINALIS; *sed qua etiam è gẽte natus es* MADRVTIANA. *Itaque in tuas laudes non ita facilè quisquam iret pro dignitate. Ego profectò vel earum minimam partem me dicendo complecti posse non sperarem, si mihi, vt ille aie,*

> ..... cunctos Helicon indulgeat amnes,
> Et superet Pymplæa sitim.

Porrò autem pauculos versus, quos eximij oratoris, & Theologi, CLEMENTIS VALENTII *operi tibi dicato præfixos videbis, non magis à me scriptos existimabis, vt te, Cardinalis Amplissime, laudarem, quàm vt me tibi indicarem, cultorem* MADRVTIANI *nominis studiosissimum, Vale.* Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

IO. BAPT. VICECOMITI,

Regio Mediolani SENATORI,

S. P. D. *Epist. 68. Mediolanum.*

VNus tu mihi, Senator Ampliss. fuisti author consilij, quo cõmotus simul, ac commonitus, ad opusculum de Laticlauo conscribendũ

animum

animum ipse appulerim meum. Eaque re Calpar *primiciarum editionis tibi ipsi omninò debebatur. Cùm eas præsertim, dum hac Ticino pertransires in Laumelinum agrum proficiscens, ad te ego daturum promiserim. Sed tanta me vis morbi cepit, vt memoriam pene rerum omnium extinxerit: & consequenter libelli istuc mittendi attulerit obliuionem. Atqui per ipsos quattuor menses viuo videntique mihi funus ducebatur, & ad instar Pliniani Messallæ eram factus mei nominis* Amnimonis. *Nunc igitur, salute nonnihil respiciēte me, fidem meam libero, & promissionis memor, quod tibi recepi, tandem persoluo. Tu verò fac quæso & me absoluas tarditatis, & hoc vt verbo sacrificorum vtar,* inferium vinum *qualecumque sit, libens accipias in signum obseruantiæ erga te meæ. Vale Ticino Regio.*

HIERONYMVS BOSSIVS

PRINCIVALLI MONTIO.

Regio Ord. Reddit. QVÆSTORI,

S. P. D. Epist. 69. Mediolanum.

N*Vllus apud nos Iure consultus renunciatur, vt optimè nosti, sine publica, sed tamen temporaria, alicuius oratoris laudatione. Æternam autem poetarum Panegyrim, quæ typis committatur, perpauci merentur, aut non ita quidē certè multi consequuntur.* Bonum Factū *igitur, quod non nullos abhinc mēses* CÆSAR & M. ANTONIVS *tui, Suadæ, Musarum, & Astrææ corculi, quia meruerint, fuerint consecuti: & quia consecuti fuerint meruisse ab omnibus fuerint etiam iudicati. Id quod repetere* Bona Fide *nos quidem possumus in eiusdem adolescentis, nostræ Vrbis patritij commendationem, qui suarū de iure, ac legibus quæstionum ad te non ita pridem exemplum pertulit. Quòd cùm non ingratum tibi accidisse intellexerim, nec vicissim iniucundam fore tibi arbitror missionem Panegyrici, quem eidem à multis per Symbola dictum, atque à me vno editum, nunc ad te mitto. Vale. Ticino Regio.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIERONYMVS BOSSIVS

IVLIO ARESIO,

Regio à Secretis Consiliario, & Senatus PRÆSIDI,

S. P. D. Epist. 70. Mediolanum.

FOrensibus quotidie magis occupationibus obruor potiùs, quàm premor. Nec his quidem festorum dierum vacationibus mihi licet tantisper vacare, vt respirem. Itaque de eo, quòd me isthuc vocas Mediolanum, in tuis ædibus verè præsidiarijs hospitem futurum, vt agere gratias facilè possum, ita nullo modo possum condicere. Vbi primum tamen dabitur aliquid otij, isthuc transcurram: ad te aduolabo. Etenim nihil mihi longius est, quàm vt tuo ipsius perfruar conspectu. Quo quidem quia iam dudum careo, vitam planè, vt græci dicunt, Aui oton dego. Augetur autem meum isthuc proficiscendi desiderium altero desiderio, quo nimiùm quantùm cupio, BARTHOLOMÆI filij optimè patrizantis Musas, ac eius delicias ingenij regustare. Quas quidem me scio regustaturum cum admiratione. Interim verò maximus iste Heros GOMEZ SVAREZ FRIGVERA, Dux Feriæ, suam tibi cum gratijs volentibus gratiam conseruet: tu mihi tuam. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

ALOYSIO MELTIO,

Regio Mediolani SENATORI,

S. P. D. Epist. 71. Mediolanum.

TRantlatitium hoc est, Senator Amplissime, vt qui in suprema alienæ Præturæ tempestate apud nos Ticinenses Censorio munere funguntur, ijdem mox prætores ipsis noui anni calendis declarentur.

tur. Ea re non possum tibi gratulari, quòd huc propediem Censor venturus sis quin illud alterum magis, ac magis later, te duos venientes annos esse moderaturum ciuitatem hanc nostram prudentia tua. Iamque mihi videor videre, vt ciues mei, te Prætore, biennium agant beatissimum: ac ea in primis fœlicitate perfruantur, quam in sua Repub. summus ille philosophorum miserè nimis desiderauit. Nec verò quisquam hæc à me dicta putabit amoris potiùs præiudicio quodam, quàm mentis iudicio; cùm nemo ad vnum nesciat hominem esse te ijs moribus, ea vitæ integritate, eaq; animi præditum moderatione, vt non vrbem modo vnam, sed regna ipsa exemplo æquè, atque imperio posses in officio continere. Quamquam ea sunt Ticinensium ingenia vt (præfiscini hoc dixero de popularibus meis) exemplo magis indigeant, & moueantur, quàm hoc altero posteriore. Neque tantùm profectò suum verentur prætorem quòd ius habeat, si quid in leges, & plebiscita commiserint, in se animaduertendi, quantùm eundem, si fuerit ipse vir edecumatæ probitatis, hoc est tui similis, venerantur. Cùm igitur hi mecum omnes præsumpto gaudio, te censore dessignato, gaudeant, illud te summis precibus rogatum velim, vt, maturato quantum maximè potes aduentu tuo, hanc nobis lætitiam solidam, ac quodam modo præsentem facias. Vale, Ticino Regio 6. Kal. Decembreis.

HIERONYMVS BOSSIVS

GASPERI SALVIANO,

V.A. Academico HVMORISTÆ,

S. P. D. *Epist. 72.* *Romam.*

TAndem post bimestre interuallum vnas à te litteras accepi. Benèfactum, quod cum auctario. Fastidia scilicet tam diuturni silentij deuorabo, dum vorabo lectione librum, quem misisti cum epistola, clarissimi viri LEANDRI tui. De cuius poema-

tijs

iijs hetruſce lingua ſcriptis, quid ego ſentiam, quid cenſeam, nihil in præſentia dico, abundè ſatis, & latinè, hoc eſt ſine fuco, & fallacijs, more maiorum ſcripturus cùm ea perlegero. Non enim antea ſolet pronunciari, quàm optimè de cauſa cognitum ſit. Nunc autem, vere dicam mihi maximè occupato non libet, ac potiùs ſumma religio, eſt, tanti viri monumenta, non vacuo animo peruolutare. Vbi tamen primum aliquid otij nactus fuero, ad id me conferam conficiendum, quod tu me rogas, & ego ingenij præcipuè cauſa validiſſimè cupio. Moxq; litteras ad hominem dabo, non minus ingenium eius, & doctrinam laudantes, quàm meam erga eundem profitentes beneuolentiam. Sed de re mea ſcriptoria, quid iſtic agitur? quid ſperatur? ad Cardinales, ad Epiſcopum ſcripſi, ad te etiam exempla omnium litterarum miſi, neque vllum, aut ab illis, aut à te ipſo adhuc mihi affertur reſponſum. Quid hoc eſt? Habeo certè non pauca, quæ in hunc ſenſum eſſent dicenda ſi non meam ſcriptionem, vt prælia ſolet, non dirimeret. Tu igitur fac valeas, Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS
MATTHÆO CAYRASCO
MALDONATO, Regio Mediolani SENATORI,
S. *P. D.* Epiſt. 73. *Cremonam.*

PLurimùm ſanè Prætorium munus, quo apud Cremonenſes perſungeris, Senatoria honeſtatur dignitate. Hæc autem contrà nec paucis, nec paruis occupationum, & curarum, vt Plautus diceret, ſiue plauſtris, *ſiue* theſauris *ab ipſa oneratur Prætura. Itaque meæ de Senatorum Laticlauo obſeruationes, quarum exempla ad cæteros collegas tuos dedi, tibi etiam, ampliſſime MALDONATE, dono debentur, cùm ſis Senator, & eidem ſubtimidè mittuntur, cùm Prætor in iſta Ciuitate*

[illegible] tot ſuſtineas, & tanta negotia ſolus.

à quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

à quibus mehercule sine publico incõmodo auocari haud potes. Quamquam non ea est mearum obseruationum moles, vt in harum lectione sint ipsi dies insumendi. Atqui libro complectuntur, vt de re tanta, breuissimo: & eo quoque longè breuiori occupatis futuro, quòd in decem, & nouem Syntagmata, quorum non nulla vix vnam paginam complent, tributus sit. Poteris tu quidem per interualla horis tantùm subsecluis librum meum percurrendum sumere; & modò deponere quasi finientem, modò quasi iterum incipientem resumere. Cæterùm faxit Deus, vt te virum Bono Reipublicæ natum ad multos annos velit perennare. Ticino Regio Idibus Iunij.

HIERONYMVS BOSSIVS

IO. BAPTISTÆ RESTÆ.

V. A. Prolitæ, & Academico AFFIDATO,

S. T. D. Epist. 73. In eius Nouillianũ.

Cum duo ipsi menses abierint, ex quo in Nouillianum tuum, vt hilarius Hilaria celebrares, ab oculis ciuium concessisti; possem ego quidem cùm Horatio dicere:

Ruris amatorem RESTAM saluere iubemus
Vrbis amatores, hac in re scilicet vna
Multùm dissimiles, ad cætera penè gemelli.

Atqui vereor, ne tantam ex isto rure tuo percipias voluptatem, vt non vrbis solùm, sed BOSSII etiam tui, obliuione capiaris. Cuius mihi suspitionis causam non mediocrem affert istud diuturnum silentiũ tuum. Antea enim vix biduo desiderari patiabaris, quin litteras ad nos mitteres benè longas, & luminibus litas non minus ingenij, & iudicij, quàm amoris, & beneuolentiæ. Itaque si me diligis, atque adeò, mi RESTA, quia me cùm paucis amas, redeundo, efficies, vt eam potiùs in alia omnia, quàm vt id credam, quod adhuc, leuiter tamen, suspicatus sum. Veniam, inquis? perplacet te ita dicere, sed ego tamen cum Plautina Gymnasio tibi occino.

--- spissum istud amanti est verbum, veniam, nisi venias.

Vale Ticino Regio. XVI. Kalendas Septembreis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIERONYMVS BOSSIVS
ALOYSIO CAGNOLIO,
V. A. è Societate IESV,
S. P. D. Epist. 74. In Braydense collegiũ.

MAlè narro, Cagnoli optime: nouæ mihi exortæ sunt malorum Iliades. Quæ me quidem omninò auocant à Musis, & ad maximum vocant mærorem: adderem etiam, nisi aliquantum philosophari cum Seneca meo didicissem, ad lachrymas. Ne te tamen mei cum paucis amantem quærelis enecem meis, abstinebo tantas ærumnas enarrare. Quas ne significatione quidem indicassem, si aliter potuissem apud te meam tarditatem in eo præstando excusare, ad quod ego fidem obligaui. Dum huius igitur liberandæ otium mihi detur, in isto fac quæso acquiescas, quòd de elogio promisso, quasi pecuniæ debitionem constituam, meum nomen in tuis expensis tabulis iacere bona fide, optimoque iure profitear. Vale. Raptim ex ædibus.

HIERONYMVS BOSSIVS
GASPERI SCIOPPIO,
V. C. Philologo, & Regio CONSILIARIO,
S. P. D. Epist. 75. Maniuam.

GErmano tibi, CL. SCIOPPI, virum moribus, & eruditione satè elegantem, GEORGIVM VVALTHER satis ipsius patriæ charitas posset commendare: est enim Germanus. Sed nolui tamen hominem isthuc sine meis litteris venire; volui inquam vt qui eruditionis, & antiquitatis causa cognoscendæ per Italiam peregrinatur, meo se tibi beneficio sisteret, in quo vno doctrina omnis, & anti-

quitas. Præterquam quòd discupiebam me ipsum apud te purgare; quod superioribus diebus cùm hic esses Ticini, te non adiuerim: te non salutauerim. Prius enim de tuo redditu Mediolanum, quàm de aduentu ad hanc nostram Vrbem ex DS. V. AQVILINO COPPINIO intellexi. Porrò autem, qui te hic non potui cum MARINONO meo inuisere, & meum omne obsequium offerre, isthuc certè aduolassem cum CAMPEGIO si minus sontico morbo *factus essem planè* Clinicus. *Quo meo in infortunio, hæc vna me res consolatur, quòd humanissimus, idemque optimus VVALTHER in ipso amicitiæ tecum conciliandæ vestibulo, quanti ego te faciam, sit facile narraturus. Ex quo tu, nisi fallor, perspicies, quàm mihi iucundum accidisset præsentia tua vel ad horæ semissem potuisse frui.* Valæ *sæculi nostri Varro, ac Musarum decus, & præsidium singulare.* Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

VALERIO CONFALLONERIO,

Regio Mediolani SENATORI,

S. *P.* D. *Epist. 76. Mediolanum.*

PRo *virium mearum facultate, CONFALLONERI Amplissime, Regis beneficentiam sequor: quam imitari non possum. Is porrò, qui te Senatorem creauit Latum Clauum dedit: ego autem, qui istam tibi dignitatem gratulor, ac benè, & feliciter euenire cupio, de Lato Clauo libellum mitto. Itaque non à Bossio minùs, quàm ab ipso Rege, fortiter dicam, munus habes Laticlauium.* Nec *verò quicquam oportuniùs ad te posse mitti, aut quidem certè me posse mittere arbitratus sum. Quòd tamen hilari fronte accepisse te significabis, cùm in tuam me fidem admittes, atq; accipies in clientelam. Pro cuius rei argumento, ac indicio auidissimè opperiar, vt tuis orner, ac honester mandatis* Vale *V.* A. *maximo Senatui recens additum decus. Ticino.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIERONYMUS BOSSIUS

IO. ANGELO CORNAZZANO,

I. C. è Ticinensi Collegio, & Duchessæ PRIORI,

S. P. D. Epist. 77. Romam.

SAlutis augurium, quòd mihi in ipsius anni vestibulo nuntias, ita prisco ritu Sedens Capio, vt longè tibi felicius euenire cupiam. Tua quidem causa nō minùs Perenne Auspicari mihi videor, quàm qui Amnem, Aut Aquam, Quæ Ex Sacro Oritur, Auspicatò Transit. Litteras autem, quas mihi ad Senatorem LEYZALDUM dedisti, Bona fide reddidi. Ac istam in primis operam tibi industriè adeò nauaui, vt planè litteras homini exhibuerim, ex tuo ipsius præscripto, venerabundus, & cum summa testificatione obseruantiæ erga illum tuæ. Cuius tibi diligentiæ argumento esse facilè potest, Senatoris responsum, quod hisce adiunctum ad te perferetur. Etenim præterquam quod humanitatis luminibus litum est, hoc ipso die est etiam scriptum, quo tuas accepimus. Vale, & me vt facis, amare perge. Ticino Regio III. Non. Ianuarias.

HIERONYMUS BOSSIUS

IO. FRANC. LANDRIANO.

Mediolani Senatui à SECRETIS,

S. P. D. Epist. 78. Mediolanum.

FActus sum tandem aliquando voti compos, LANDRIANE præstantiss. Ipsa enim abierunt sæcula, ex quo me tibi indicare,

ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

ac meam vicissim erga te voluntatem declarare discupio: Nunc autem cum Astræa propitia oblata nobis occasio est, qua facilè possim præteritorum temporum desideria crebris siue scriptionibus, siue allocutionibus compensare. Porrò hæc Sparta mihi non ita pridem suscepta, qua Ticinensium quæstionum summas ad Sanctissimum Mediolani Senatum habeo transmittere, & nunc ansam præbet meum erga te studium, quòd vtinam amæbæum sit, declarandi, & olim etiam dabit sæpissimè salutandi tui. Cum igitur Inarcus O. T. heic in ergastulis Atratus, ab amplissimo Ordine Lariclauio rescriptum tua ipsius manu signatum impetrarit; Statum causæ non per alium quempiam ex VI Viris collegis tuis, quàm per te, volui Patribus Conscriptis reddi. Itaq; vnà eademq; opera ad te mitto primitias & forensis meæ Themidis, & obseruantiæ erga te meæ. Hæc scripsi in Leyzaldiæ Musæ Cimiliarco. Ticino Regio XVI. Kalendas Decembreis. Vale vir humanitate, & prudentia eximiè, ac præstantissime. Vale inquam, & me ama.

HIERONYMVS BOSSIVS

ANTONIO SERBELLONO.

V. A. & COMITI,

S. P. D. Epist. 79. Mediolanum.

VAlerij nostri oratio, quæ in funere habita fuit Præstantissimi Comitis IO. PETRI, fratris tui, sub prælo est typographico, vt excudatur: veriùs dicam, inibi est, vt excusa in manus hominũ esse incipiat. Quia verò tanti viri casus me affecit vt singulariter, ita vehe-

menter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

menter, nolui omninò scriptionem hominis in vulgus emitti, quin illi meum quoque de tuo fratre elogium adiungeretur, cum ad meam erga Serbellonum genus obseruantiam declarandam, tum ad eius Herois facta atque famam cum laude, & bonis recordationibus prosequendam. Elogij autem ad te exemplum antea, quàm Valerij oratio tibi reddatur, mitendum esse ideò putaui, vt faciliùs mei carminis lectionem ipse sustineas. Id quod certè ad Oenopolarum facio imitationem, qui priùs ab emptoribus diluta vina degustari volunt, quàm temeta, ac vina mera, ne horum sapore captis nequeant villa istis postea obtrudere. Atqui tanta est VALERII suauitas in dicendo, vt & sui omen facilè cognominis impleat, & spem mihi auferat penitus futurum, vt perlecta eius oratione, duritiem, & inficetias meorum carminum quisquam velit deuorare. Quamquam Vir amplissime, ANTONI SERBELLONE, eam esse tuam erga me voluntatem sæpè, ac sæpiùs multis in rebus perspexi, nihil vt à me proficiscatur, quin eo tibi saltim nomine probetur, quod meum sit. Vale Ticino.

HIERONYMVS BOSSIVS

PAVLO BELLONIO,

Regio Mediolani SENATORI,

S. P. D. Epist 80. Mediolanum.

OMnibus profectò lætitijs incessi, cum AV. IVLIVM ARESIVM meum ex Quæstorum Præside Senatus Principem renũciatum intellexi. Sed quo tamen tempore Senatorem te, præstantiss. BELLONI, ex Antecessore factum cognoui, gaudio planè exiliui. Atque adeò lætitiæ quodam morbo (non erubescam dicere ad meam erga te voluntatem declarandam(exiui pœnè de potestate. Cui quidem cum alio sontico morbo, quo pæne

Victima nil miserantis Orci.

sum

sum factus, aduersa occurrit Higeia. Mutò dictum, qui nullam omninò Higeiam agnosco; Supremus ille, siue rerum omnium moderator, siue modimperator mihi in tātā animi iucunditate, vt verbis vtar Hispanorū egregiè adeò patronis fauentiū meis, ha querido Dios aguar el contentamiento: *Ex quo fit, vt togata opera te deducere cum cæteris deductoribus, trabeatis illis quidem, & annullo aureo insignitis, ego vnus non queam. Officiorum quidem, salutationumque intermissio, quæ à me cliente tibi antea præstabantur, nunc debentur, facilè inditio esse potest, quod langueam, quod iaceam. Hoc autem ego, ne secus quicquiam de me suspiceris, per meas tibi litteras significandum putaui, tu verò si me in præsentia tantùm amas, quantùm olim profectò amasti, non meam solùm accipies excusationem, sed ipsam quoq; excusationis causam dolebis, aduersam valetudinem meam. Quamquam si te tuam mihi gratiam conseruare intellexero, vel in maxima morbi vi, tua gratia fretum, me salute ipsa saniorem arbitrabor. Vale ex ædibus.*

HIERONYMVS BOSSI*VS*
BARTHOLOMÆO PISONO,
I. C. apud Ticinenses Criminum *IVDICI*,
S. P. D. *Epist. 67. Ticinum.*

D*Ifficilem, adeò, &, vt verbis comici vtar,* incommodisticam viam, *habui, vt non quidem cum* Sole, *sed vix cum* prima face Mediolanum *peruenerim. Sed cùm tamen discendi, priùs de tuis mandatis, quàm de me ipso, deq; cibo capiendo licet adhuc ieiunus cogitaui. Atqui statim ad elegantissimum* Virum, *POMPEIVM fratrem tuum, me contuli: quæ mihi credideras narraui: de* Senatoris *LEYZALDI aduentu hominem monui. Iamque illud quoque recensebam, quod post me eras nuncium cum nonnullis scriptis missurus, cum ecce tibi, omni citiùs expectatione mea,* IO. BAPTI-

STA

STA aduenit ea perferens cum litteris tuis. Quibus visis ad præstantissimum Virum L. aduolaui, a quo id certò mihi significatum fuit, quòd crastino die, uti omnino esse tibi in optatis cognoui, de Fratris causa Senatus habendus sit. Quidquid autem de ea pronunciatum fuerit, à me per alteram epistolam tibi ad vnguem perscribetur. Interim vale, & me, vt facis, amare perge. PETRO FRANCISCO tuo Phœbi delicio, Musas benè volentes, & propitias cupio. Iterum vale. Mediolano.

HIERONYMVS BOSSIVS
IOANNI CAVALCHINIO.
I.C. Ticinēsium apud Mediol. Gubernat. ORATORI, S. P. D. Epist. 82. Mediolanum.

EX eo certè, CAVALCHINI præstantissime, quod iugi litterarum missione tantopere vrgeas, vti Mediolanum proficiscar, singularem tuam erga me humanitatem agnosco. Nec verò me isthuc tanto studio inuitares, nisi iura religiosè, ac sanctissimè coleres nostræ amicitiæ, quæ ab ætate ipsa prætextata initium traxit, ad supremam vitæ tempestatem duratura. Quo in genere non me vmquam à te patiar superari, qui omnibus tamen cæteris in rebus tibi vni concedo libentissimè. Verùm nihil, vt ad id redeam vnde diuertimus, me scito de profectione ista Mediolanensi adhuc cogitare, ne dum deliberare posse, cùm nihil vicissim de re (tu quam dicam optimè nosti) aut secundum expectationem meam, aut in alteram partem, statutum fuerit. Vnus scilicet ex huius Prouinciæ administratoribus, qui in nescio quo rusculo suo siue casu siue dedita opera, delitescit, in causa est, quamobrem comitia non habeãtur. Sed ea tamen in valde longum tempus productum iri non arbitror. De quibus vix certi quicquam statuetur, cùm te statim per litteras monebo, quid ego facturus sim. Tu interim vale, & salue ab Antecessore Primario, BELLONIO tuo. Ticino Regio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIERONYMVS BOSSIVS

PETRO FRAN.co CORIO

Regio Mediolani Senatori.

S. P. D. *Epist.* 83. *Mediolanum*

F*Elix sit, faustum sit, V.* Ampliss. *PETRE FRANCISCE CORIE: tandem aliquando multis, ac magnis meritis tuis Rhamusia cessit, perpetua alienæ laudis aduersaria. Quæ quidem non semel, aut iterum, sed sæpe, ac sæpiùs, dum Senatoriæ Nomenclaturæ ad Regem in Hispanias tuo in eis adscripto nomine transmitterentur, in spe, ac votis hominum illusit, istam tibi laticlauiam dignitatem augurantium Nunc verò eadem vt victa succumbit, ita herbam in vita porrigit vincenti Virtuti tuæ.*

Quemadmodum itaq; .... altus olympi
Vertex, qui spatio ventos, hiemesq; relinquit,
Celsior exurgit pluuijs, auditq; ruentes
Sub pedibus nimbos, & cæca tonitrua calcat,

nunc tu potes tunica iure tuo exornatus plus quàm palmata triumphare. Quamobrem tibi vniuersa siue Ciuitas, *siue prouincia Mediolanensis tanquam Senatori, Optimo Iure, & tanquam Victori Io Triumphe, adclamat. Ego tamen singulari tuorum collegarum LEIZALDI, & BELLONII testificatione commonitus, quorum vtrumque te Iuris præsidio, ac legum tutelæ de Cælo delapsum prædicare non semel audiui; de publica via deflecto, Atqui non Senatoriam tibi dignitatem gratulor, sed te potiùs & dignitati, ac Reipublicæ. Nec erit, puto, qui meum hoc consilium non probet, cùm vtriusque Bono tu natus omninò videare. Cura vt valeas, ac me tuorum clientum Albo ne dedignare: id quod mẽte animi veriùs, quàm togæ creta, Candidatus peto. Iterumque vale. Ticino Regio.*

L HIE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIRONYMVS BOSSIVS

AVRELIO BVSSOLO

Philosopho, & Regio ac Ordinario Medicæ Praxis INTERPRETI.

S. P. D. *Epist.* 83. *Ticinum.*

Figmentum Græci poetæ fuit, quod Phœbus Platonem, & Æsculapium genuerit, vt ille corporibus, hic animis moderetur. Mera hæc autem veritas est, quòd siue aliqua morbi vi corpus, siue affectione aliqua animus oblanguerit, tu mihi, quasi Plato Æsculapius quidã, vtrumque mirifice in pristinam salutem, & hilaritatem restitueris. Etenim tanta mecum semper in allocutionibus *vsus es humanitate, ac* Arte sophorum, *vt mentis omnem facillimè dolorem, mæroremq; fueris consolatus: tanto verò studio adcurationem incubuisti, vitam vt mihi idem potueris semel atque iterum*

————— ratione medendi

Porrigere, & fatis amplificare moras.

Itaque tibi plurimum debeo vti Amico, quod amoris vicissitudine rependo: nec parum vti Medico, quod non regero, id perpetuó debiturus; me tamen honorem, qui medicis habendus est, offerente; sed te illum vt ipse dicis Philij ac Phœbi causa recusante. Quibus ego te nominibus, & amo libens, & meritò veneror, atque in primis, vt omnia fausta, & honorificentissima quæque accidant, exopto. Itaque vix credas, præstantissime BVSSOLE, quam sim gauisus opere, cùm te in florentissima ista Ticinensi Academia ex ordinario Theoricæ Medicæ doctore ordinarium Practicæ Interpretem fuisse renuntiatum intellexi. Sed illud non vulgariter meam auxit lætitiam, quòd D. S. V. IO. BAPTISTÆ SYLVATICI, Archiatri editis cum in Italia, tum in Gallia, & Germania operibus CLarissimi sis factus in isto

munere

munere collega. Quod tibi dum gratulor, hoc mente, & animo comprehensum habeo, quod, cum pro labore honoris tui honorem alterum habere merueris, honorificè admodum de illo priore sapientissimus Mediolani SENATVS se sensisse honoris secundi accessione declarauit. Magnum sanè de te, ac tua virtute iudicium, cuius causa amplissimo huic ordini plurimùm debes. Etenim honor, & vt Cassiodorus ait, dignitas, dum ad incognitum venit, donum est, cùm ad expectatum, compensatio meritorum. quorum alter debitor iudicij, alter obnoxius est fauori. *Nec vereor, quin aliquando etiā longè plura ipsi SENATVI debeas, cùm pro tuorū meritorū magnitudine nouis te honorum, atq; etiā præmiorum augumētis exornabit. Tu certè diligenti, & industria, ac ipsis præcipuè philiatris probata opera tua efficier, vt* re bene ac feliciter gesta *alia tibi maximo isto munere longè maior Artis Medicæ tradendæ prouincia deferatur. Interim vale. Hæc in Museo nostro exaraui ad Agalma sedens* Ioan. Petri Imberti *Medicorum sui temporis facilè Principis.*

HIERONIMVS BOSSIVS

FERDINANDO QVINTANA DVEGNAS

Regio Mediolani Senatori.

S P D. *Epist 85.* *Mediolanum.*

T*Antùm equidem Reipublicæ interest, vt ad eius administrationem viri promoueantur, qui & abundent, & plurimùm sapiāt, vt nihil magis vtile, nihil æque sit necessarium. Hoc autem quisquis verum esse, vti verissimum est, persuasum habet, non potuit non manus sustollere, cùm te Senatorem designatum audiuit, qui vt Comi, & Pluti, ita diuitijs flores Bonæ mentis, & ingenij. Ego quidem* Vialibus *feci vt te sospitem ex Hispanijs in Italiam deducerent. Quod cùm re ipsa effectum tuus declarauit aduētus, omninò dum has*

Ticino pertransires proximis superioribus diebus, ad te ire, & honoris, & gratulationis causa discupiebam. Sed, quando per tuum mihi repentinum discessum id coram exequi non licuit, nunc saltem per litteras etiam tuum cum salute aduentum, & speratum ab ista dignitate commodum aequè tibi, ac Reipublicae gratulor. Vale Ticino Regio. Haec scripsi in Praetorijs aedibus ampliss. Leyzaldi *collegae tui, & patroni etiam mei.*

HIERONYMVS BOSSIVS
HENRICO ARSAGO
Electorum Iudicum Mediol. Coll. IVRISCONSVL.
S.P.D. Epist. 86. Mediolanum.

ET gaudeo, & tibi etiam, atque etiam gratulor, V. praestantissime HENRICE ARSAGE, quod vt audio,

Expers curarum, atque animum virtute quieta
Compositus, semperque tuus,

in tua te oblectes bibliotheca: cuius tanta à libris elegantia, & suauitas est, vt in istam Musae frequentiùs adire, quam olim ad Herodotum, nunc putem diuertere. Nec, quia tamen omninò quiete *priuer, vt cum poeta loquar,* tunicata, *minùs haec vera est gratulatio. Etenim ingenium meum in hoc vno, si nulla alia in re, cum Plinij natura consentit, quòd* non ego, vt multi, inuideo alijs bonum, quo ipse careo; sed contrà sensum quendam, voluptatemque percipio, si ea, quae mihi denegantur, amicis video superesse.
Atqui versari, heu me miserum! quotidie cogor in puluere hoc forensi, vbi ne vocula quidem exauditur, quae amoenitatem sapiat Mansuetioris Musae. De caelo inquam delapsus, & peiùs quàm in insulas Cycladas deportatus mihi videor, ex quo fui, & igne Poetico, & aqua Aganipedum interdictus: tu autem, si quis alius, optimè nosti quorum culpa. Quid igitur rogas? Obstrepunt auribus meis pro Tullijs, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

Flaccis Legulei quidam, & rabulæ: moratores quidam vulpiones, lucripetæ, crumenimulgi. Quorū certè lingua grauius mihi olet, quàm Augiæ stabula fatere dicantur. Ferendi profectò essent, si rus verum, & lapides *tantùm loquerentur, vt ille Catullianus. Etenim Arabicum vnguentum est, præ horum luto, & sordibus* annalium carta Volusianorum. *Sed vereor, ne, si vlteriùs hoc argumento progrediar, stomachum tibi faciam legenti. Quamquam, si vera dicenda sunt, hæc ideo ad te scripsi virum mei amantissimum, vt mea causa in eo magis, ac magis aduigiles, quòd mihi te tuo in Ticinensi discessu ceraturum condixisti. Quod si iterum tuo beneficio illud mihi dabitur otium, quod olim fuit, cùm*

liber animos, & sui iuris, mihi

Semper vacabat studia recolenti mea,

plus ego tibi debebo, quàm ipsis parentibus, quibus quidem, secundum Deum, ipsam vitam debeo. Vale. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS
PRINCIVALLI MONTIO,
Regio Mediolani, SENATORI,
S. P. D. Epist. 87. Mediolanum.

PRæsumptum certè gaudium vel tunc ego gauisus sum, ampliss. Monti, quasi Senator fuisses creatus, cùm inter Regios Quæstores annis proximis superioribus adscriptus fuisti. Etenim summus ille Regum Philippus, qui te laticlauia ornatum voluit dignitate, alterius Philippi Regis & filius, & hæres est, qui HIERONYMVM *patrem tuum in amplissimum istum ordinem cooptauit. Tu verò in parentis hæreditatem, non quà solùm vsus, & fructus, aut mancipium, & nexus prædiorum habetur; sed quà etiam nominis fama, integritas, doctrina, prudentia, & cæteræ id genus virtutes censentur, te tuo iure iampridem immisisti. Vtque nemo non poterat non tibi Senatoris filio,*

filio, Senatoriam *ab eo Rege dignitatem polliceri, qui vt*
regit patris virtutibus orbem;
ita quoq; in deferendis honoribus non nisi hominibus sine vlla exceptione laudandis, paternum sequitur exemplum. Cùm alij igitur omnes, quod ad ornatissimum in Republica Mediolanensi dignitatis gradum promotus fueris, tibi gratulantur, vnus ego ab eiuscemodi officio discedo gratulationis, sequor tamen coniecturas meas, & præsumpta perfruor lætitia, dum aliud quiddam maius, quàm, quod nunc es consecutus, tibi delatum iri auguror, polliceorque. Interim vale, & viue ad multos annos, superstes illi gloriæ, qua CÆSAR, & M. ANTONIVS te patre dignissimi filij, Iurisconsultorum eloquentissimi, & eloquentium iuris peritissimi cũ paucis præstabunt, ac florebunt: vnus scilicet cùm Romæ purpura ornabitur, alter cum Lato Clauo Mediolani. Iterum vale, & viue, ac me, vt facis, fouere perge.

HIERONYMVS BOSSIVS

BASSIANO CATENAGO

Theologo, ac Reg. Lateranensi CANONICO
S. P. D. *Epist 88. Genuam.*

E*A planè ad nos litteris, nuntijsque de te perferuntur, quæ certis* ac claris, & prosperis e cœlo datis signis, *augurati sumus in tuo discessu. Tantam scilicet in concionibus te tibi audientiam facere audimus, vt apud alios, qui isthic Genuæ in verbi Dei sese exercent prædicatione, mira sit infrequentia. Hoc ego quidem quam, qui maximè, lætor, ac gaudeo. Quamquam illud me magis mouet, quod in summo Templo maximus istius Reipublicæ DVX tuorum aliquando ornet, ac illustret auditorum coronam. Nimirùm vnus intelligit, quanti referat, vt suo ipsius exemplo ad eum audiendum excitet, qui istos possit, & dictione, & vitæ in primis integritate non tantùm in religionis studio continere, ad eosdem etiam ad cælestium rerum contemplationem inflammare. Atqui nemo non videt, non fatetur te illius*
Herois

Herois munus perbelle sustinere, qui, ut vetus à Prudentio elogium occinitur, doctor est Populorum,

——— & ore potens coruos mutare columbis.

Ea re nec mihi nouum, nec mirum est, quod ad te unum cum Ducè ipso S. P. Q. Genuensis concurrat, & confluat, de quo quidem tibi gratulor vehementer, quia te non minus in eo agnoscere salutem Animorum, quam fructum te scio amare eloquentiæ tua Vale. Pænè præterieram, quod tibi futurum arbitror iucūdissimum: ALOYSIVS TROTTVS adolescens ingenio supra humanum prædicto in Braydensi Collegio nudiustertius eleganti sanè, & accurata Oratione illud suasit fortasseq; etiam persuasit, quod æstiua tempora sint, quàm hyberna Musarum studijs aptiora: ex illa autem actione eos plausus tulit, qui te quidem si adfuisses immensum quantum oblectassent, ut homo es amplissimi Senatoris IO BAPTISTÆ TROTTI, eius patris studiosissimus, cupidissimusque. Interim vale, & me ut facis ama. Mediolano postridie Idus Iulias.

HIERONYMVS BOSSIVS

ALOYSIO MELTIO

Regio Mediolano SENATORI, & COMITI.

S. P. D. *Epist. 89.* *Mediolanum.*

PRæclarum sanè argumentum est tuorum meritorum, amplissime vir ALOYSI MELTI, quod maximus regum Philippus non eo contentus, quod te Senatorem creauit, COMITEM etiam ornare voluerit. Ego quidem, cum tibi MAZENTÆ municipium mancipio, & nexu, ut ita dicam Regia liberalitate addictum intellexi; ipse non dubia sperare cœpi, ut, qui prioribus posteriora beneficia adiunxit, beneficia ista velit tertio suæ liberalitatis munere cumulare. Hoc autem ut Bonus euentus *curet, ac perficiat, iugibus præcibus rogo. Tu interim cura at valeas eximium curiæ lumen, & me ama cupidissimum tui.*

HIERO-

HIERONYMVS BOSSIVS

BARTHOLOMÆO ZVCCHIO

C. V. & Præstantissimo PHILOLOGO,

S. P. D. Epist. 90. Modoetiam.

INcredibilem sanè, CL. V Bartholomæe Zucchi, de tua humanitate Io. *Baptista* Solarius *apud me excitarat expectationem. Sed eam tamen, quanta quanta esset, longè officijs tuis superasti. Etenim non eo contentus, quod me tuis verbis communis hic amicus salutarit, litteras ad me etiam dare voluisti, in quibus prolixam voluntatem tuam non minus perspicerem, quàm ingenium suspicerem tuum. Atque non aliunde omnino benè conscribendarum epistolarum ratio, & IDEA petenda est, quam à tuis ipsius litteris elegantissimis, ingeniosissimis. Id quod profectò verissimum esse confirmant omnes, qui tua scripta perlegunt, quis autem non perlegit? sed vnus in primis Valerianus Castillioneus vir eruditione præstans, iudicio acutus, & censura verus, qui tuam ad me datam epistolam semel, iterum, ac tertiò sibi voluit recitari, in te nostri sæculi* Italico *tullio genium ipsum epistolarem agnoscit simul, & admiratur.* Cuius rei *argumentum non vulgare habes, quod vnius tui salutandi causa* Modoetiam *is cogitarit, atque etiam venerit. Hominem autem vt humaniter vel excipias, vel complectaris, nec te rogo, nec moneo.* Eum *enim esse te non ignoro natura virum, qui omnibus tua sponte sis facilis, & benignus ac vicissim non me fugit tot ac tanta esse in Valeriano meo virtutis merita, vt vel vnico congressu omnium sibi facilè conciliet amicitiam. Vale* Mediolano *pridie Nonas Maias.*

HIERO.

HIRONYMVS BOSSIVS

TRVSSO TRVSSIO

Regio Mediolani SENATORI

S. P. D. *Epist.* 91. *Mediolanum.*

Q*Vi hanc tibi meam*, Senator *Amplissime, epistolam reddet, natione Belga est, professione pictor: ætate quidem, vt vides, adolescens; arte verò, & ingenio senex.* Is Mediolanum *venit, vt Vrbis istius opes, & opera videat simul, & admiretur. Quæ sanè vt cum Lipsio dicam, Admiranda sunt, & cum Romanis illis facilè conferenda. Sed nec homini fuit ista omninò vna profectionis causa. Etenim signa etiam Bassanica, & Luuinica: Campina, & Titianæa: addo etiam Figiniana, Cerranica, & Procaccinia, quibus Vrbs ista vniuersa exornatur, mirè cupit videre videre autem? parum dixi de adolescentis cupiditate non amanda minus, quàm prædicanda. Cupit namque pro virili sua nobilium pictorum tabulas quodam modo transferre in tabulas suas. Quare cum apud Flauium Belcredium nostra viciniæ delicias me sæpe audierit celebrantem* pictorum Cimeliarchium *tuum, voluit omninò sic per meas litteras indicari tibi, ac simul commendari, vt ad istud admittatur inspiciendum. Hoc autem si homo à tua humanitate, vti spero, impetrauerit, & mihi erit pergratum, qui Ermanni Yterri causa (sic est nomen adolescenti) omnia cupio, & volo; nec tibi fortasse, amplissime* SE-*NATOR iniucundum erit, qui pictorum delectaris siue consuetudini, siue disputatione. Interim vale, & viue. Ticino Regio.*

M   HIE-

HIERONYMUS BOSSIUS

IO. BAPTISTÆ PROVERÆ

Bellingerio, Senatui Mediolanensi A SECRETIS;

S. P. D. Epist. 92. Mediolanum.

Regiam strenam, qua te auctum litteræ nunciarunt isthinc ad amicos scriptæ, quantacunque maxima potest, & animi, & amoris tibi gratulor abundantia. Atqui peropportune accidisse puto, ut munus istud Regium, quod ab hinc non paucos menses sperabatur, nunc tantum temporis delatum sit, qui festos hosce dies transigeres lætius, hilarius. Omnibus itaque lætitijs videre te mihi incedentem videor, quia C. V. Sacco socero tuo, quem antea cognominem habuisti, nouo isto munere nunc etiam factus sis collega. Vale. Ticino Regio postridie Seruatoris natalem diem.

HIRONYMUS BOSSIUS

NICOLAO LEYZALDO.

Regio Mediolani SENATORI,

S.P.D. Epist. 93. Mediolanum.

Monitus per antecessoris L. V. litteras die Veneris proximo de studiorum instauratione Senatum habendum esse intellexi. Ego autem perdifficile, ac verius dicam impossibile futurũ arbitror ut Typographus ad tam breue tẽpus decreta omnia, & rescripta Principis, & Senatus excludat. Quod ad te quidem Senator Amplissime significandum putaui, ut de eis deliberes siue manuscripta mittenda sint; siue, quoad opus absoluatur, expectandum. De qua tamen deliberatione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

tua velim à te ipso certior fieri per epistolam. Inte[...]go autem vrgebo Ardizzonij operas, vt quam fieri possit ardentissimè ad impressionem incumbant. Tu fac valeas. Ticino ex Prætorijs ædibus tuis.

HIERONYMVS BOSSIVS

FEDERICO BORROMÆO.

Archiepiscopo Mediolani, & S.R.E. CARDINALI, S.P.D. *Epist 94. Mediolanum.*

NVlla fortasse in re homines frequentiùs peccant, quàm in muneribus deferendis. Cuius erroris causam hanc esse puto, quòd ferè nemo, vt nunc temerè, & inconsultè viuitur,

Reddere personæ sit conuenientia cuique.

Quis enim vel tantillùm consideratus litterato viro Martis frameam, aut contrà militi, & bellatori Lyram daret Apollinis? Ego quidem licet in omni re alia parum iudicio valeam, in hoc tamen genere, præfiscini dixerim, & antea valde semper, & nunc quàm maximè, illud studeo, vt ne munus afferam alicui sine delectu: vt ne inquam mihi ipsi eam gratiam, quam donando quæro, imprudens extinguam, aut quidem certè debilitem. Ex quo factum, Cardinalis amplissime, vt, qui nihil habeo te dignum Principe litteratissimo, non ego ad te audeam de meo quicquam transmittere. Cùm igitur Iulius Cæsar Madius V. in iure, ac legibus haud parum versatus, ac tui maximi nominis magnus cultor opusculum de sacris Ordinibus doctum san[?], & eruditum ediderit, ad te dono mittendum putaui, vt te alienis munerer, qui meis non possum. Qua in sententia illud me singulariter, nec mediocriter confirmauit, quòd is quarto quoque versu ad suas assertiones confirmandas authoritatem suscipiat CL. I.C. Marij Antonini tui. In cuius ego laudes non ibo, cùm nec sit hic locus, nec tu ignores, quàm præclarè prudentia sua, & multarum rerum scientia Vicariam tibi operam nauet in Archiepiscopij administratione. Quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

verò, vt adi[...]deam, istud ipsum, quo te muneror, de re sacra est, non te rogat[...] virum è Sacro Purpuratorum Ordine cum paucis eximium, vt librum vel excipias libenter, vel diligenter legas. Cùm præcipuè ea tua sit humanitas, nihil vt respuat, quod ab animo tibi dedito, proficiscatur: ea doctrina, vt ad nullam rem aliam, quàm ad legendum, tua sponte feraris ardentiùs. Vale Princeps amplissime: vale litterarum, & litteratorum in Italia Mæcenas. Hæc scripsi in Musæo ad S. Caroli imaginem, quæ inter cæteras indigetum, ac VV. illustrium tabulas, sic à me posita est, vt totus hic locus illustrari non nisi ab vno Carolo videatur. Ticino.

HIERONYMVS BOSSIVS

IVLIO CAESARI REGIO

Todeschinio A. V. & IVRIS CONSVLTO

S. P. D. Epist. 95. Mediolanum.

NOstrum planè omnium, qui tenui in re politiorum studia complectimur litterarum, æqua ratio est, atque amatorum, qui, licet sit domi curta suppellex, muliebri allecti, ac potiùs decepti forma, vxores ducunt indotatas. Vtrique enim iucundas noctes habemus, nec iniucundè isti cum Venere, nos cum Musis vigilamus. Vtrique etiam suauiter esurimus, atque sæpissimè vt ille ait comœdiæ palliatæ Roscius, Aphisca celebramus. Nec verò sumus in hoc dissimiles: quod ydem, si fuerit ad conceptus sterilis coniux, vt suas sibi res habeat per diffareationem iubere, atque alias sibi nuptias parare possunt: nosque ratione pari, si nullam habeat Musa compendi fœcunditatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

iure illi nostro edicimus.

..... vt res suas procuret, ædibus facessat,

atque mox etiam in ea arte, quæ sua vbertate veracior esse videatur nostram ponimus industriam. Cum labores igitur litterarij nobis fraudi potius, quàm commodo sint, hoc præcipuè tempore, quo viri isti, heu quid proloquar? ad alia nos traducere animum cogitamus. Ad quæ tamen vellem proxenetæ honorarij operam mihi naues. Eaque re cogitata mea omnia in tuum sinum liberè effundam. Cuperem igitur in S. vel M. C. L. ÆQ. munus sortiri. At istud fortasse inquies, non ita, est vt arbitramur, expeditum. V. Procurationem, Cærealem Æ. non recusaremus: minus dicam R. S. M. & A. aut etiam S. A. C. Q. aut Custos essem non inuitus. Quamobrem gratissimum mihi feceris, si vbi primùm Aresius Præses in sermonibus meo tecum nomine vsurpauerit, ex illis bellè tu captaueris occasionem exprimendi formam quandam, & imaginem rerum mearum. Quæ adeò quidem cadunt infeliciter, vt nulla ex talorum iactu in meo ludo Venus *appareat. Hoc autem cum Præses intellexerit, non vereor, vt tamquam Hercules Alexicacus malum omne, quod mihi ab euentu non bono excitatur, sua, & authoritate, & benignitate sedet, ac depellat. Ex quo etiam, mi Regi, fiet, vt idem ipse, cuius ego ingenium, quale sit optimè noui, vtrumque nostrum multò quam antè ardentius amet: te, quia indicio fueris, vt apud clientem, quod semper fecit libentissimè, beneficium poneret: me, quia quantus quantus ero, esse omninò a se ipso cognoscet. Atque erga suum beneficium sic afficietur, vt artifices erga opus, Poetæ erga versus, & pictores erga tabulas suas. Vale.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

HIERONIMUS BOSSIUS

MATTHÆO VALERIO,

Carthusiæ Ticin. apud Mediol. PROCURATORI,

S. P. D. *Epist. 96. Mediolanum.*

QUàm vellem VALeri optime, ut te mihi priùs, quàm me tibi Sossagus indicasset. Non tu certe adeò humana, et prompta amoris erga me tui professione hoc officium significandi meam erga te voluntatem præuertisses. Etenim iste noster interpres amicitiæ inter nos conciliandæ, dum me tibi officiosè quidem, ac peramanter salutauit, eum esse te in litteris ostendit, quem omninò dignum iudicaui, ut ab omnibus, sed ab ijs præcipuè, qui bonas litteras colunt, ameris potiùs, quam redameris. Itaque pro virili mea illud conabor efficere, ut quantum præoccupata salutatione vinctus, quantumque meritis ac doctrina victus sum, tantùm par tibi sim amoris abundantia. Quam ut officijs meis, non enim dicam beneficijs, aliquando perspectam, & cognitam habeas, me quam potero diligentissime curaturum polliceor. Interim vale. Ticino Regio.

HIERONYMUS BOSSIUS

CAROLO ANTONIO BELCREDIO

I. C. Acad. Affidato, & Reipub. Ticinen. AGENTI

S. P. D. Epist. 97. Romam.

LItteras tu quidem, BELCREDI optime, non Romanienses solùm, quia Roma missa, sed planè Romanas, quia candidè scriptas, ad me per florem illum Charitum Nicolaum Rittium dedisti. In quibus plusne tuam erga me beneuolentiam fuerim complexus, an genium, & ingenium suspexerim, omninò nescio. Quamquam illud certò scio, magnam te mihi curam, & animi solecitudinem iniecisse,

cùm

cùm ista in Vrbe, in qua vel pueri ipsi, vt ait Poeta.

------- nasum Rhinocerotis habent.

nugas quisquiliasq; meas tantopere tua prædicatione desiderari significasti. Tantum abest, vt ad clarissimos istos viros tu mihi meos numeros siuè Tuscos, siue Latinos mittendos esse persuadeas: qui alia tamen omnia persuadere facilè posses. Non enim me adeò fugit ratio, non sic desipio, vt ignorem, quam ego anser Amuson sim inter olores; Itaq; nisi olim magis, quàm antea ad versus pangendos Musas habuero propitias, tibi ipsi, qui pro me spopondisti, præstò noxa erit: atque adeò vt nexum fugias, omninò aliquid de tuo supponendum erit pro meo. Vale.

HIERONYMVS BOSSIVS

IO. BAPTISTAE BIGONIO

In S. Inuentij Canonico, & Ticin. Semin. RECTORI

S. P. D. Epist. 98. Ticini.

NOn vereor quin, quo tempore fueris ab nouo Episcopo in Seminarium reuocatus ad iuuentutem erudiendam, cum Tyndaro Plautino dixeris:

Ex auspicaui ex vinculis, nunc intelligo
Redauspicandum esse in catenas denuo.

etenim munus est ærumnis plenissimũ, quæ non minus animũ, quã ipsũ corpus afficiunt. Quia tamen eiuscemodi facto declaratur, quàm per iniuriam fueris ab hinc tres menses exauthoratus spartam istam litterariam, quantumuis laboriosam, puto gratam tibi, & iucundam accidisse. Etenim longè maius tibi eidem est ornamentum allatura, quàm fraudem ij olim fecerint Interpontifices temporarij, qui successorem dederunt nihil tale merenti. Quamobrem ego, qui te semper ornatissimum volui, prouinciam istam tanta cum tua dignitate iterum delatam gratulari omninò debeo. Quæ vtinam meo voto atque

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

etiam ex tuo merito prosperè eueniat succedat, feliciter. *Vale meum mel. Raptim ex aedibus.*

HIERONYMUS BOSSIUS

VINCENTIO GALLO

V.R in Arcimboldio Gymnasio Eloquentiæ Primario INTERPRETI.

S. P. D. Epist. 99. Mediolanum.

NOn potui non ollæ osculum dare tabellario, qui tuam hodie *VINCENTI GALLE*, ad me pertulit epistolam. *Etenim quod in eo tu Vir Reipub. litterariæ Consularis mecum sentire scribas, in quo* censor iste vitio creatus *dissentit, omnibus omninò lætitijs incedo. Præterquam, quòd ea tuarum est litterarum suauitas, ij lepores, ut in eis perlegendis non summa iucunditate perfundi, hominis esset prorsus discedentis ab omni, & morum, & ingenij humanitate. Porrò autem de tua ego epistola sic existimaui, ut non in maximis generalium tuæ* Societatis *Comitiorum occupationibus, sed per summum potiùs otium in ipso* mundi vmbilico *Parnasso, dictantibus Musis, eam à te scriptam fuisse dixerim. Atque equidem, ut intelligas, quantum ea me delectauerit, ac me herclè etiam iuuerit,* Bona Fide *hoc unum affirmo tibi, quòd ab illa egomet fuerim ab omni stomacho, & indignatione ad magnam animi traductus tranquillitatem. Eaque re non paucos nunc ipsum iambos, quibus me rabies pœnè Archiolochia armare cœperat, obliuioni, ac Vulcani potiùs violentiæ trado. Quos profectò si vel tantùm M. S.S. in hominum manus ire fuissem passus, Burdo iste Scarabæis impurior nusquam esse posset, quin prætereunti puellus quisque quadrimus.*

...... digitum porigere medium.

Tu vale

Tu vale, & me ama. Religiosissimo viro Bartholom[illegible] sauanto, & elegantissimo Valentino nostro S. adscribo P. Hæc exaraui in Arcesiano meo ad sanctissimi tuæ Societatis Indigetis, Alexandri Saulij imaginem. Ticino Regio.

HIERONYMVS BOSSIVS

ALOYSIO BOLOGNINO

V. R. e Societate IESV,

S. P. D. Epist. 100. Ticini.

NÆ diuinasti futurum, BOLOGNINE optime, elegantissime, vt aliquis Pseudo Aristarchus qui solam agnosceret Panegyrim, CENSORIA NOTA MOVERE Panegyricum vellet ex nostri libri inscriptione. Ecce tibi, vt sciolus quidam hoc mihi faciundum persuaderet, exemplum perbellè appositum nouitij Panegyrastis, qui, prisco ritu per ceram, ac verius per suæ scriptionis cartam inducto calamo, Panegyricum oblitterauit. Sed non homo ego sum desultoriæ adeò sententiæ, vt ad cuiuslibet arbitrium aut factum, aut dictum commutem meum. Cum præsertim authores habeam, quos sequar, classicos, probatissimos, ac tantæ dignationis, vt ipsos Panegyricos ex litteratorum Orchestra, non ex cuneis, & dicant, & audiant. Porrò etiam te possem ego testem citare, quod non imprudens, sed sciens volens, & de industria, vsus fuerim hoc verbo; nec tamen ignorauerim, al e u n illud à quàm plurimis vsurpari. Recordaberis certe, quòd in tuis hortis, dum sub topiario spatia simul faceremus, eorum stultam in dicendo rel g onem de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

viderem, q[illegible]peius, quàm canem, & anguem, Panegyricum vitandum putàt. Ab isto igitur Censore vitio creato, *qui solam. Panegyrim dici sine reprehensione contendit, ad te mi BOLOGNINE, prouoco. Atqui omnis argumenti vis, quo nostram conuellere opinionem iste Sesqui Plinius conatur, in eo maxime nititur, quòd* πανηγυρικὸς ἀπὸ τῆς πανηγύρεως *deriuetur, non rem sed ipsius rei adiunctum, hoc est non laudationem, sed laudatiuum quiddam significet. In quo quidem tantùm meo iudicio fallitur, vt omninò deducendus sit ad eorum institutiones, qui docent, quid eclipsis, & quid enallage sit partium orationis. Quasi verò Panegyrastes Nouocomensis, qui Traiano Augusto laudationem dixit, ex diametro non huic opponatur. Adde, quòd Quinctilianus Institutionum Oratoriarum lib. II. cap. X. in hunc modum loqui non dubitauerit:* in ijs actionibus, quæ in aliqua sine dubio veritate versantur, sed sunt ad popularem aptatæ delectationem, quales legimus Panegyricos. *Earundem etiam Institutionum lib. III. cap. X.* in Panegyricis, *inquit,* petatur audientium fauor. *Sed* quisquam *fortasse* negauerit, *vt idem ait cap. IIII.* Panegyricos ἐπιδεικτικοὺς *esse. Neget potiùs vocem esse latinam, & græcam affirmet. Hoc ego quidem feram non inuitus. Quamquam illud mox adscribam, fuisse donatam latinitate à supremo illo Romanæ eloquentiæ Consule Tullio.* Etenim *his verbis M. Brutum alloquitur in Oratore:* sunt orationum genera, eaque diuersa, neque in vnam formam cadunt, omnia laudationum, scriptionum, & historiarum, & talium suasionum, qualem Isocrates Panegyricum fecit. *Itaque abundè satis, vt arbitror, non illud solùm probaui, quòd Panegyricus dici pro Panegyri possit, sed hoc etiam ostendi, quod dictio sit Ciceroniana. Id quod profectò contra eorum omnium opinionem me fecisse existimo, qui Ciceronem ipsum non sibi familiarem habent, nisi in epistolis familiaribus. Tu modò vide quo iure, & quantorum hominum exemplo Panegyricum inscripserim libellum meum.*


Palmarium

Palmarium certè factum putabo, si tu, præs... ne BOLOGNINE, *sententiam meam comprobaueris. Dign... autem cœlum mihi videbor attingere, si doctissimus* PRÆFECTVS, MALAVOLTA, ALEMANNIVS, ET CAGNOLIVS, *qui tecum in Societate Iesu viuunt ad religionis & bonarum artium decus, & ornamentum, suffragio suo voluerint nobis subscribere. Tu interim fac, valeas. Ex ædibus*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di
Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

IE

005644715

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.77